



Quaestiones sacrae, pueris christianis, pietatis, bonorumq[ue] morum & literaru[m] studiosis utiles ac profuturae. : Item alia quaedam ad paedagogiorum usum selecta.

<https://hdl.handle.net/1874/452983>

ye

2

QVAESTIO


NES SACRAE, PVE-
RIS CHRISTIANIS, PIETATIS,
bonorumq; morum & literarū
studiosis utiles ac profuturæ.

Item alia quædam ad pæ-
dagogiorum usum
selecta.

AVTORE REINHARDO LO-
richio Hadamario.

AD IUVENTVTEM.

Accipe magna breui compendia clausalibello,
Sic animum Pietas nutriat alma tuum.



FRANC. Apud Hæred. Chr. Eggen.
M. D. LVIII.

PHILIPPVS MELANTHON

ad pueros, in dictum Christi: Sinite pueros uenire ad me, Taliū enim est Regnum cœlorum. Matthei 18.

VOS ad se, pueri, primis inuitat ab annis,

Atq; sua Christus uoce uenire iubet.

Premiaq; ostendit uobis ueniēibus ampla,

Sic uos o pueri, curat, amatq; Deus.

Vos igitur leti properate occurrere Christo,

Prima sit hæc, Christum noscere, cura, duct.

Sed tamē ut Dominum possis agnoscere Christi,

Ingenuas artes discito, parue puer.

Hoc illi gratum officiū est, hoc gaudet honore,


Infantum fieri notior ore cupit.

Q. V. AB.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a library stamp or a reference number.

QVAESTIONES
ALIQVOT SACRAE
conuinciores.



Quid literarum, ac pietatis studio
suspuer manè primùm faciet?



IGNO SANCTAE CRV
cis se piè signabit, in nomine Pa-
tris, & Filij, & Spiritus sancti.
Deinde, genibus inuitens dicet
Symbolum Apostolicum, & ora-
tionem Dominicam. Pòst, si uolet, hãc preculam:

Q V A E S T I O N E S

Gratias ago tibi, pater mi cœlestis,
 per Iesum Christum, dilectum Filium
 tuum, quòd me hac nocte ab omnibus
 periculis ac insidijs diabolicis conser-
 uasti: Oro te suppliciter, ut hac quoque
 die me conseruare digneris à peccato,
 & ab omnib. malis, ut tibi omnia mea
 facta, atq; adeò tota uita bene placeat.
 Quia totum ego me, corpus, animam,
 ac omnia mea prorsum in manus tuas
 committo. Tuus sanctus Angelus sit
 mecum, ne Satan ullum in me ius repe-
 rire possit. Amen.

Quid uesperis cubitum se col-
 laturus faciet?

*Eadem quæ modò prædicta. Deinde suppliciter
 hanc dicet preculam:*

Gratias ago tibi, pater mi cœlestis,
 per Iesum Christum, Filium tuum dilectum,
 quòd me benigniter hac die, gratuita
 misericordia tua custodiisti: Oro pa-
 ter omnipotens, ut mihi suscepta studia
 mea fortunare uelis, omnia delicta con-
 donare, ac me peccatorem, tua gratia, con-
 seruare. Quia ego me, meumq; corpus,
 & animam, ac omnia, in manus tuas con-
 mendo. Tuus sanctus Angelus sit me-
 cum



CATECHISTICAE.

cum, ne Satan ullum in me ius reperire possit.

Cur manè, cùm uentum fuerit in Paradagogum, Oratio omnibus prælectionibus solet præmitti?

Vt meminerimus operam imprimis dandam pietati, & eam studiorum metam esse, ut regnum Dei queramus.

QVAESTIONES CATECHISTICAE.

PRIMA.

Dilecte fili, quid hominis es?

RESPONSIO.

Sum Christianus homo.

Cur id adferis?

Quia sum creatura mentis ac rationis compos, ad imaginem Dei creatoris cõdita. Deinde, credo in Iesum Christum. Tertiò, Baptizatus sum in nomine Patris, & Filij, et Spiritus sancti.

Vnde hæc nouisti?

Primum mihi cõstat ex libro Genesis, ubi sic ait Moses: Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Deinde catholicam fidem confiteor, & quod Apostoli fecerunt, Lucæ 7. semper oro, ut Dominus adaugget fidem meam. Tertiò, quòd sacro baptismatis fonte lo-

Q V A E S T I O N E S

tus sum, à parentibus meis accepi.

Quodnam est caput Christianae
Religionis?

Lactanti. Deum noscere, Deo soli fidere, soli obtempe-
rare, solum colere.
lib. 6. ca. pite 9.

Quid est Religio?

August. Est cultus diuinus, quae Graece θρησκεία dicitur.
li. 10. de Vnde dicta Religio?
cui. Dei A religando, quòd pietatis unculo sumus ob-
cap. 1. stricti, & religati Deo.

Quid est Pietas?

Lactan. Est rectus Dei cultus, qui & sanguine iunctis
lib. 4. ca. ac patriæ tribuitur.
pite 13.

Vnde consequimur, ut Deum nosce-
re, solumq; colere possimus?

E sincera Euangelij prædicatione.

Quid est Euangelion?

Est bonum nuncium de Christo filio Dei, pro-
pter nos mortuo, resurgente, & aeternaliter Do-
mino factò.

Quid decet hominem Christianum?

Agnoscere diuinam uoluntatem, soli Deo ser-
uare, & seruare præcepta eius.

Quid à te requirit uoluntas
diuina?

Vt Dominum Deum tuum diligas, ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis ui-
ribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum.

Quid

Quid Fides?

Est substantia rerum sperandarum, argu. Ebra. i.
 mentium non apparentium.

Vel, Est opus Spiritus sancti, quod spem &
 charitatem generans, de gratia Dei nos certos
 reddit, atq; iustificat.

Quam utilitatem tibi Fides affert?

Quod per Fidem coram Deo reputor iustus,
 & sanctus propter Iesum Christum, & quod do-
 netur mihi spiritus sanctus, quo orem ad Deum,
 & ipsum ut patrem inuocem, & uitam meam iux-
 ta mandata Dei instituam.

Vbi consistit Fides?

Non in sapientia hominum, sed in uirtute
 Dei.

Potest ne Fides sine bonis
 operibus esse?

Historica uel mortua potest, sed uera et uiua
 nullo modo. Hæc enim bona semper opera, non
 aliter atq; fertilis & bona fructus bonos produ-
 cit arbor.

Quid est Fides sine charitate?

Cymbalum tinniens, æs resonans, & ipsissi-
 mum (quod aiunt) Archytæ crepitaculum.

Quid est charitas?

Vinculum perfectionis, proprium donum ca-
 tholicæ unitatis & pacis. Charitas enim non est
 procax, non inflatur, non est fastidiosa, non iri-

QV AESTIONES

tatur, non cogitat malum, sed patiens et benig-
na, suffert, credit, sperat, ac sustinet omnia.

Quotnam res homini Christiano
cognitu sunt necessariae?

Quatuor potissimum.

Quænam?

Decem præcepta, Vnde Decalogi nomen in-
ditum, Duodecim articuli fidei, Oratio Domini-
ca, Sacramenta Baptismi, atq; Cœnæ Domini.

DECALOGVS PRAE- CEPTORVM DEI.



CATECHISTICAE.

PRIMUM.

Non habebis Deos alienos.

SECUNDUM.

Non assumes nomen Domini Dei
tui in uanum.

TERTIVM.

Memento ut diem Sabbati sanctifi-
ces.

QUARTVM.

Honora patrem & matrem, ut sis lōe
gāuus super terram.

QVINTVM.

Non occides.

SEXTVM.

Non mœchaberis.

SEPTIMVM.

Non furtum facies.

OCTAVVM.

Non loqueris contra proximum
tuum falsum testimonium.

NONVM.

Non concupisces domum proximi
tui.

DECIMVM.

Non desiderabis uxorem eius, non
seruum, nō ancillam, non bouem,
non asinum, nec omnia quæ illius
sunt.

Q V A E S T I O N E S

Eadem carmine comprehensa.

Vni crede Deo, Temerè nec lingua per ipsam
luret, Sancta Dei Sabbata sanctifices.

Et patrem & matrem merito digneris honore.

Non sis occisor, Non quoq; mœchus eris.

Nec furtum facies. Nec quicquam dixeris unquam

Falsi, sit procul hinc fucus ab ore tuo.

Rerumq; alterius subeat tibi nulla cupido,

Et tuus in quod ius proximus omnis habet.

Da Primum, & quid sibi velit, simul
ediffere, atq; explana.

Vni crede Deo. Hoc est: Nos debemus Deum,
qui est creator atq; saluator nostrorum corporum
& animarum, temporaliter & aeternaliter,
super omnia timere, diligere, & illi soli toto
corde fidere. Omnem præterea superstitionem
& idololatriam deuitare: Nihil præsidij, nihil
sp̄ci, nihil consolationis, nihil salutis, nullam de
nuq; peccatorum remissionem à creaturis, siue ce-
lestibus, siue terrestribus expetere, sed omnia à
Domino nostro Iesu Christo fideliter expe-
ctare.

Cùm Deus in primo præcepto pro-
hibeat sculptilia, quid ea de
re tu sentis?

Omnem superstitionem prohibet, mandatq; ne
simulachra, & idola colamus, aut adoremus ea.
Possumus

Poffumus ne simulachra, uel imagines habere, citra fuperfitionem & idololatriam?

Christianus uti poterit ijs imaginibus, quæ ueræ hiftorias, atq; falutares ad imitationem res geflas continent. Quæ nulla mendaciorum portenta, nullaq; turpia uanæ fuperfitionis argumenta complectuntur, ut ex ijs emendatio uitæ producatur, operum item & beneficiorum Dei commemoratio cordibus imprimatur, fic ut omnis fuperfitionis & idololatriæ tollatur abufus.

Da Secundum.

Temerè nec lingua per ipfum iuret. Id eft: Debemus Deum timere & diligere, ut ne per nomen eius maledicamus, temerè iuremus, incantemus, mentiamur, aut dolis fallamus, fed in omnî neceffitate illud adoremus, inuocemus, coram mundo confiteamur, & cum gratiarum actione laudemus.

Da Tertium.

Sancta Dei Sabbata fânctifica. Id eft: Debemus Deum timere & diligere, ne uerbum eius, quod eft Chriftus, contemnamus, fed ut fânctum reputemus, libenter audiamus, fenfibus imis reponamus, legamus, & difcamus, ipfumq; in corde noftro, quod eft Dei templum, operari patiamur.

Grattas

Q V A E S T I O N E S

Gratias item pro beneficijs acceptis agamus, Si
eramētis sinceriter utamur, Eleemosynas demus,
egrotos inuisamus atq; consolemur, Familiā ad
pietatem instanter erudiamus, & in officio con
timeamus. Hæc recta sanctificatio Sabbati.

Da Quartum.

Et Patrem & matrem merito digneris hono
re. Id est: Debemus Deum timere & diligere, ne
parentes, præceptores, Magistratum contema
mus, neq; ad iram prouocemus, sed honore affici
mus, illis seruiamus, morem geramus, amore eos
prosequamur, magnificiamus, & quæ possumus
beneficia rependamus.

Da Quintum.

Non sis occisor. Id est: Debemus Deum timere
& diligere, ne odio uel ira perciti, uita pro
ximi nostri insidiamur, flagitium aut damnum faci
ciamus, inimicitias exerceamus, siue uindictā ex
petamus, sed illum adiuuemus, defendamus & cō
solemur, in omnibus necessitatibus opem ferens
tes, illi consulamus & succurramus.

Da Sextum.

Non quoq; mæchus eris. Id est: Debemus Deū
timere & diligere, ut castè ac pudicè uiuamus,
in uerbis ac operibus, ut omnis immunditia, aut
obscœnitas inter nos ne quidē nominetur. Opor
tet etiam oēs ciborum & uestimentorū lusus &
illecebras effugere, contra temperantiā studere,
castamq;

Eph. 6.

castamq; uitam assumere: & quisq; coniugij sui
consortem diligere, & honore dignari.

Da septimum.

Nec furtum facies. Id est: Debemus Deum ti-
mere & diligere, ne proximi pecuniam fraudu-
lenter auferamus, bona sua praeipiamus, neq; fal-
sis mercibus, aut impostura, fraudibus uel usura
ad nos pertrahamus, sed simpliciter ac candidè
negociemur, operamq; demus, ut illius opes con-
seruentur, augeamur, ac conditio melior efficiat-
tur.

Da octauum.

Nec quicquam dixeris unquam falsi. Id est:
Debemus Deum timere et diligere, ne proximum
calumniemur, falsis testimonijs, proditione, ob-
trectationibus, siue mendacijs inuoluamus, pro-
damus, traducamus, aut genuino mordeamus,
sed illum excusemus, bona de eo loquamur, om-
nia in meliorem partem interpretantes.

Da Nonum.

Sit procul hinc fucus ab ore tuo. Id est: Debe-
mus Deum timere & diligere, ne hereditatem,
uel domum proximi dolo malo captemus, & sub
specie recti, nostris facultatibus adiungamus, sed
operam sedulo demus, ut ista proximo diligen-
ter custodiamur.

Da Decimum:

Rerūq; alterius subeat tibi nulla cupido. Id est,
Debemus

QVÆSTIONES

Debemus Deum timere & diligere, ne à proximo uxorem, seruos, ancillas, uel pecudes auferamus, aut alienemus, sed potius adhortemur ut manent, & suum diligenter officium faciant.

Quæ est summa Decem Præceptorum?

Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis uniuersa Lex & Prophetæ pendent. Matthei 22.

Quidnam Deus de præceptis istis omnibus pronunciat?

De Decalogo Deus Exodi uicesimo capite sic ait: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes uisitans iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Quibus uerbis grauissimam minatur ipsi poenam, qui præcepta sua transgrediuntur. Rursus gratiam, ac omnia bona pollicetur omnibus, qui mandata obseruant. Ergo Deum diligentes, ac illi confidentes, iuxta præcepta eius debemus omnem uitam nostram diligenter instituire.

Ad quid tradita sunt præcepta Dei?

Principio data sunt ad hoc, ut ex ipsis discamus peccata nostra agnoscere, Deinde, ut ex ipsis discamus

discamus opera quæ Deo placeant, facere, & honestam uitam ducere.

Possumus ne nostris bonis operibus præcepta Dei perfectè implere?

Nequaquam. Nostra enim opera non sunt perfectè bona, propterea quòd sumus in peccatis concepti & nati. Sed ut saluti nostræ consuleretur, Dominus Deus noster donauit nobis filium suum Iesum Christum, qui nullum unquam peccatum fecit, sed impleuit omnia præcepta Dei absolutissime. Quare si in hunc credimus, reputat nos Deus gratuita sua clementia & misericordia propter Iesum Christum, perinde ac si nos omnia mandata Dei impleuissemus, adeoq; donat nobis, & cordibus nostris sanctum spiritum infundit, reddit nos idoneos ad obtemperandū diuinæ uoluntati. Præterea quicquid in fragilitate nostra desideratur, compensat, & per obedientiam dilecti filij sui resarcit atq; complet.

Quam ob causam nos debemus bona opera facere?

Non propter hanc causam, ut satisfaciamus nostris bonis operibus pro peccatis, et mereamur uitam æternam (Solutus enim Christus satisfecit pro peccatis nostris, & meritis est nobis æternam uitam) Sed ideo debemus bona opera facere, ut
bis

QVAESTIONES

his fidem nostram uiuam, non mortuam esse testemur, & Domino Deo nostro pro beneficijs suis gratias agamus.

Da decem uersus Decalogum
continentes.

Non aliena tuis uenerabere nomina uotis.
In uanos utere Dei nec nomine ritus.
Septima sacra coles, opera seriatim ab omni.
Adficies digno reuerenter honore parentis.
Non hominem quenquam crudeli funere tollet.
Alterius tectum temerare cauebis adulter.
Non rapies aliquid, nec tu furabere quicquam.
Accitus testis nihil attestabere falsi.
Nullius cupies uicini tecta nitentis.
Nec nuptam, seruos, famulas, asinosq; bouesq;

Quonam crimine Deus cum
primis offenditur?

Ingratitudine. Nam, ut Diuus Bernhardus su-
per Cantica dicit, Ingratitudo est hostis gratie,
inimica salutis. Et nihil ita displicet Deo, quam
ingratitudo.

Esne gratus Deo?

Etiam.

Quare?

Quia Deum benefactorem agnosco.

Quid benefecit tibi Deus?

Creauit me, Redemit me, Sanctificauit me.

Vnde hoc scis?

Ex Symbolo.

SYMB.

CATECHISTICAE. 9
SYMBOLVM APO-
STOLICVM.

Quid est Symbolum?

Est nota, signum uel tessera Christiani homi-
nis.

Da Symbolum.

Credo in Deum patrem omnipotentem, crea-
torem caeli & terræ. Et in Iesum Christum fili-
um eius unicum, Dominum nostrum, Qui con-
ceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uir-
gine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor-
tuus, & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die
resurrexit à mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad
dexteram Dei patris omnipotentis. Inde uen-
turus est iudicare uiuos & mortuos. Credo
in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catho-
licam, Sanctorum communionem, remissionem
peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æ-
ternam, Amen.

Quæ est huius fidei utilitas?

Hæc est utilitas eius, quòd reputor per hanc fi-
dem coram Deo iustus & sanctus, propter Iesum
Christum, & quòd per eam donatur mihi Spiritus
orandi, & inuocandi Deum ut patrem, & insti-
tuendi uitam meam iuxta mandata Dei.

Quid continet Symbolum?

Cõgeriem benefactorum Dei, hoc est, Crea-

QVÆSTIONES

tionem, Redemptionem, ac Sanctificationem, Vnde tribus articulis est conspicuum.

Da primum Articulum.

DE CREATIONE.

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Quid sibi uult?

Credo quòd Deus creauit me, unà cum omnibus creaturis, quòd corpus et animam, rationem ac sensus mihi dedit, ac omnia quæcunq; uita necessaria, sine ullis meis meritis, ex diuina sua gratia suppeditauit.

Articulus hic est de Creatione, docens primà in Deitate personam, nempe Patrē, à quo omnia bona, uelut uberrima scaturigine, et æterno fonte profluunt, à quo deniq; sunt omnia creata.

Quid est credere in Deum patrem?

Omnem spem atq; fiduciã debemus reponere in Deum patrem cœlestem, utpote summum bonũ, qui iuxta paternæ uoluntatis clemenciã promissit misericordiam atq; beatitudinem, cum ueris bonis ad animæ simul ac corporis salutem pertinentibus Ergo oportere nos eis credere, totoq; corde confidere, nihil dubitantes, quin ea omnia per gratiam ab ipso consecuturi simus.

Cur dicis: Omnipotentem creatorem cœli & terræ?

Quoniam

Quoniam ex nihilo creauit me cum omnibus
 creaturis, quæ in cælo et in terra. Cōseruat
 etiam corpus et animam meam, sensus ac rationē,
 sanitatē atq; membrorū robar, protegit item me
 cunctis in periculis, & aduersus omnia mala, idq;
 sine meritis atq; dignitate mea. Quapropter ob-
 strictus sum illi pro omnibus beneficijs gratias ag-
 gere, laudare, atq; uerum cultum præstare.

Credis etiam Filium Deum, item
 Spiritum sanctum Deum?
 Credo.

Ergo tres Dii sunt?

Non sunt. Tria nomina sunt, unus autē Deus.

Da secundum Articulum.

DE REDEMPTIONE.

Et in Iesum Christū, filium eius uni-
 cum, Dominū nostrum, Qui cōceptus
 est de Spiritu sancto, natus ex Maria
 uirgine, passus sub Pontio Pilato, cru-
 cifixus, mortuus & sepultus. Descēdit
 ad inferna, tertia die resurrexit à mor-
 tuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexte-
 rā Dei patris omnipotentis, Inde uen-
 turus est iudicare uiuos & mortuos.

Quid sibi hæc uerba uolant?

Credo quòd Iesus Christus uerus Deus, à patre
 ante secula genitus, idemq; uerus homo, natus ex
 Maria Virgine, sit meus Dominus Iesus Chri-

QV AESTIONES

stus, qui maledictum ac perditum me, ab omnibus peccatis, suo preciosissimo sanguine, sua morte redemit, ut ego suus proprius essem, sub ipso uiuerem, qui propter peccata mea ab alienatus eram, in corpore carnis suæ per mortem reconciliatus sum, ut in conspectu suo exhibear sanctus, & irreprehensibilis, & inculpatus, in fide fundatus ac stabilis permanens. Coloss. 1.

Quid sibi uult illud: Deus homo factus est?

Hoc est, Assumpsit carnem nostram unâ cum peccatis nostris.

Cur Dei filius appellatur Iesus Christus?

Quoniam saluator est, à spiritu sancto in Regem atq; summum pontificem unctus, ut me simul ac omnes in ipsum credentes, à peccatis emundet, ac recõciliatos patri, iustificet, saluosq; redat. Qui deniq; mihi, omnibusq; fidelibus mediator, & aduocatus sit æternaliter permansurus.

Quid de Christi resurrectione credis?

Credo Iesum Christum à Deo patre resuscitatum à mortuis, & ereptum ab omnibus cruciatibus, atq; sic mortis atq; uitæ Dominum factum, qui sua resurrectione iustitiam et æternam uitam mihi reparauit, ut à peccato liber iustitiæ uiuam, donec hoc mortale corpus transfiguret atq; clarifi-

et, corpori suo glorioso redditum conforme.
Philippen. 3.

Quomodo ad cœlos ascendit?

Sic Euangelistæ sacri scribunt, Marcus atq;
Lucas: Itaq; Dominus postquam locutus fuisset
eis, in altum sublatus est, et nubes subduxit illum
ab oculis eorum, receptus est in cœlum, & con-
sedit à dextris Dei.

Quid significant ea uerba?

Docent Christum ascendisse super omnes cœ-
los, Dominum mortis atq; uitæ redditum. Etenim Eph. 4.
cum ascendisset in altum, captiuam duxit capti-
uitatem, & dedit dona hominibus. Qui regnat
in summa felicitate, gloria & potestate Dei, Do-
minus supra omnes principatus, uirtutes, atq; do-
minationes, non solum in hoc mundo, sed etiam
in futuro seculo, ut æternaliter omnia gubernet,
& in omnibus omnia compleat.

Quid hæc fides tibi præstabit?

Efficiet ut Domino meo Iesu Christo, omnem
in cœlo ac terra potestatem habenti, confidam,
ac summo studio res omnes meas dirigam ad cœ-
lestem uitam.

Quid de iudicio extremo credis?

Quæmadmodum Iesus Christus in hæc morta-
litate uitam sese demisit, & per suam resurrectionem
et ascensionem elatus est in summam sublimi-
tatem, ita credo ipsum in maiestate sua cum omni

QVÆSTIONES

bus angelis rediturum, corporaliter ac uisibiliter in extremo die, ad iudicandum uiuos & mortuos, daturumq; pijs eternam uitam, impijs autem eterna supplicia.

Da Articulum tertium.

DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Spiritū sanctū, sanctam Ecclesiam catholicā, Sanctiorū communione, remissionem peccatorū, carnis resurrectionē, & uitam æternā, Amen.

Quid hoc sibi uult summam?

Credo me proprijs uiribus, neq; Deo fidere, neq; unquam ad Deum accedere potuisse, sed spiritum sanctum per Euangelium me uocasse, suis donis illuminasse, & conseruasse, quemadmodum totam Ecclesiam solet in terra uocare, cōgruere, illuminare, sanctificare, et per fidem in Iesum Christum cōseruare, in qua mihi & omnibus credentibus in eum, omnia peccata quotidie propitius remittit, omnes uos in extremo die, à morte resuscitaturus, ac uitam æternam daturus.

Quid credis de Spiritu sancto?

Est tertia persona in diuinis, à patre filicq; procedens, qui similis est potestatis & essentia cum utroq;. Credo itaq; me non proprijs uiribus nec efficacia peruenire posse ad cognitionē Dei patris, atq; Domini nostri Iesu Christi, sed per operationem spiritus sancti, cū me per Euangelion

uocat,

uocat, suis donis illuminat, & in uera fide sancti-
ficat, atq; conseruat.

Cur specie Columbæ, & linguæ
igneæ apparuit?

Quia omnes quos implet, & columbæ simpli-
tate mansuetos, & igne zeli ardemes, ac ma-
gnalia Dei loquentes, facit.

Cur speciem columbæ suscepit?

Quonia præ omnibus animalibus hæc cultrix
est charitatis, ut ait Ioannes Chrysostomus.

Quæ dona sunt Spiritus sancti?

Vera sapientia, intellectus, consilium, fortitudo,
scientia, pietas, timor Dei.

Cur præcipuè datur?

In terra datur spiritus, ut diligatur proximus.
E coelo datur spiritus, ut diligatur Deus. Sicut
ergo una est charitas, & duo præcepta, ita unus
spiritus, & duo dona, ut ait S. Augustinus.

Quid intelligis per sanctam Ecclesiam
catholicam, Sanctorum com-
munionem?

Credo uniuersalem Sanctorum congregatio-
nem à spiritu sancto per Dei uerbum, & Euange-
lij prædicationem ex omnibus mundi populis ad
Iesum Christum accersitam, ut eius Verbum au-
diant, mandatis obtemperent, sacramentis utan-
tur, atq; mutuam inter se charitatem exercent.

Quid per peccatorum remissionem?

Q V A E S T I O N E S

Credo Dominum nostrum Iesum Christum omnibus ijs, qui firmiter credentes de peccatis dolent, atq; poenitent, impetrasse peccatorum remissionem, ac eandem in Ecclesia sua quotidie conferre, atq; suppeditare per diuina Baptismi atq; Cœnæ Dominicæ sacramenta. Item per absolutiones, atq; conscientiarum cōsolationes, quas Ecclesia suæ commendauit.

Vnde ista habes?

E scripturæ locis. Principiò sic legitur Marci ultimo: *ite in mundum uniuersum, & predicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur.* Deinde Ioannis 20. *Sicut me misit pater, & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.* Tertio Matth. 18. *Amen dico uobis, quaecunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in caelo etc.*

Quid per carnis resurrectionem?

Vniuersalem mortuorum resurrectionem in nouissimo die futurã credo, cum omnes qui in munimentis sunt, audient uocẽ filij hominis, et prodibunt Ioannis 5. Tunc quemadmodum Christus est mortuus, & per diuinam uirtutem à mortuis excitatus, ita mortale corpus meũ per efficaciam illius resurrectionis reuiuificabitur, et ad immortalem

talem uitam resuscitabitur, atq; renouabitur.

Quid de uita æterna credis?

Credo immarcescibilem hereditatem, et æterna gaudia mihi conseruata in cœlis. Quæ ut modo per uerbum in Deo patre, & quem misit, Iesu Christo, contemplor & cognosco, sic quando Christus mea uita meumq; gaudium apparebit, & ego tum apparebo in gloria uisurus ipsum ut est in maiestate sua. Hoc ipsum certò mihi, omnibusq; in Christum credentibus continget: quemadmodum e contrà cunctis incredulis & impijs eueniet, ut in æternam condemnationem, & inextinguibilem ignem atq; supplicia præcipitentur.

Quomodo ueram ad fidem peruenire licet?

Per auditionem uerbi Dei, & per sancti spiritus illustrationem.

Sed cum debilis & infirma fides, à quo petenda confortatio & auxilium?

A Deo nostro patre per Iesum Christum ardente oratione intercedente.

Da carminibus adstrictum Symboli primum Articulum.

Corde pius credo, supplex & adoro fidei
Mente Deum patrem, uel nutu cuncta potentem.
Hunc qui stelligeri spaciota uolumina cœli,
Et solidum omniparæ telluris condidit orbem.

Q V A E S T I O N E S

Da secundum.

Eius item Gnatum Iesum cognomine Christum,
 Quæ Dominū nobis agnoscimus, ac ueneramus.
 Hunc Maria adflatu diuini numinis, aluo
 Conceptit uirgo, peperit purissima uirgo,
 Et graue supplicium immeritus, damnante Pilato
 Pertulit, infami suffixus in arbore, mortis (Chro
 Oppetit, tumulatus humo est clauisq; sepul
 Interea penetrat populator ad infera regna.
 Mox ubi tertia lux mæsto se prompsit orbis
 Emersit tumulo, superas rediuius in auras,
 Inde palam æthereâ scandit sublimis in arcem:
 Illic iam dexter Patri adsidet omnipotenti.
 Vnde olim rediturus, ut omnem iudicet orbem
 Et uiuos pariter, uitâq; & lumine cassos.

Da tertium.

Te quoq; credo fide simili spirabile numen,
 Halitus adflatusq; Dei sacer, omnia lustrans.
 Et te confiteor sanctissima concio, qua gens
 Christigena arcano nexu coit omnis in unum
 Corpus, & unanimis capiti sociatur Iesu,
 Hinc propriū nescit, sed habet communia cunctis
 Hoc equidem in cœtu sancto peccata remitti
 Credo, pijs sacro fuerint qui sone renati.
 Nec dubito, quæ exanimata cadauera rursus
 In uitam redeam, animas sortita priores,
 Vtraq; pars nostri, corpusq; animusq; deinceps
 Iuncta simul ducunt uitam sine fine perennem.

DE ORATIONE.

Quid est orare?

Est Deum patrem firma & indubitata fide per Christum inuocare, quem admodum ipse præcepit, atq; se nos exauditurum promisit.

Quot requiruntur ad Orationem?

Duo. Fides in promissionem diuinam, & affectus aliquid petendi.

Quomodo orandum est?

Quem admodum Christus docuit discipulos suos, atq; iussit orare. Matth. 6.

Da Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in caelis, Sanctificetur nomen tuum, Veniat regnum tuum, Fiat uoluntas tua, quem admodum in caelo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, Amen.

Oratio Dominica quot preces continet?

Septem.

Da primam, & quid sibi uelit, simul eloquere.

Pater

Q V A E S T I O N E S

Pater noster: qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Id est, Omnipotens Deus, qui bonitatis autor, ac uitæ, da miseris peccatoribus, ut nomen tuum per se quidem sanctum, apud nos non uanum, sed sanctissimum, ac toti mundo magnificum habeatur, idq; spiritu & ueritate semper adoretur.

Quid est quod dicit: Pater noster, qui es in cœlis?

Familiariter allicit, ac benigniter excitat ad fidem, qua nos ærumnosos in terris filios consolatur, & sursum ducit ad patrē cœlestem, qui cunctos in mundo patres misericordia & omnipotentia superat, qui fons uberrimus omnium bonorum, & in cunctis necessitatibus extremū presidium.

Quomodo nomen Dei sanctificatur?

Si Dei uerbum sinceriter fuerit predicatum, ac nos ei crediderimus, & factis expresserimus, nulla falsa doctrina aut superstitione idolatrica nomen Dei prophanando.

Da secundam petitionem.

Veniat regnum tuum. Id est, effundatur in corda nostra spiritus sanctus, qui Dei uerbum in nobis uiuidum, ac ferax reddat, ac proterat ueterem Adamum unā cum prauis suis adfectibus. Hoc est: Cū caro & sanguis Dei regnum possidere nequeam, Corin. 4. petimus ut suo spi
ritu

ritu nos illuminet, & idoneos reddat eterno re-
 gno. Et cum Dei uerbum non ueniat cum obser-
 uatione, de poscimus ut intra nos uigeat, utpote Luc. v.
 iustitia, pax, & gaudium spiritus sancti.

Quomodo continget illud?

Euēiet cum nos miseros peccatores Deus à
 regno Diaboli, nempe peccatis, morte atq; mun-
 do liberat, ac per spiritum sanctū nos in filij sui
 regnum transfert, sua benedictione ac donis cœ-
 lestibus excolit, ut ex intimis animi penetrali-
 bus credamus, atq; piē uiuamus in hoc præsenti,
 atq; futuro seculo.

Da tertiam.

Fiat uoluntas tua, quemadmodum
 in cœlo, sic etiam in terra. Id est, Bona &
 misericors Dei uoluntas (quæ non mortem pecca-
 toris, sed uitam uult) fiat, non nostra, quæ pecca-
 tum est.

Confitemur hic Dei uoluntatem in nobis ni-
 hil uirium habere, nihilq; apud nos procedere,
 nec predominari. Petimus igitur, ut aspirante
 Deo quiq; nostrum in sua uocatione per spiritus
 sancti uirtutem, possimus uiuere, & operari se-
 cundum Dei præcepta, nostros item affectus fre-
 nare atq; uincere, corporaq; nostra uiuentem
 hostiam præbere, mortificando carnem, uirtuti
 reluctantem.

Quomodo continget istud?

Cum

Q V A E S T I O N E S

Cum Deus peruersum omne consiliū, impiūq;
 uoluntate Diaboli, mundi, atq; nostrae carnis im-
 pedit ac frangit, facitq; suum nomen in nobis sanc-
 tificari. Concedit suum ad nos regnum peruenire,
 nos in suo uerbo confirmat, in fide corroborat,
 & misericorditer in finem usq; conseruat.

Da quartam.

Panem nostrum quotidianū da nobis hodie. Id est, Administra doctrinam celestem, uerum & uiuum intellectum Verbi tui, & uoluntatis tuae.

Confitemur hic per Dei gratiam omnia, quae spectant ad uitae necessitatem, opulentiē conferri hominibus, etiā impijs. Petimus igitur, ut id ipsum agnoscere, & cū gratiarum actione possimus accipere, atq; perfrui. Adeoq; per panem intelligendum, cibum, potum, uestitum, bonum Reipub. statum, bonos amicos, honorem, pacem, & id genus alia, quae pertinent ad uitae sustentationem, ac necessitatem, ut sum mens sana, corpus ualidum, artes honestae, pij ac fideles magistratus, oeconomia bona, tempestas prospera, fertiles anni, & alia quae spectant ad uitae conseruationem, ne uel inopia, uel abundantia rerum adducti offendamus Deum, sed potius ut obediētes filij speremus ab omnipotentē patre omnia bona.

Da quintam.

Et remitte nobis debita nostra. Hoc est

est, peccata nostra, quæ multifariam quotidie patramus. Sicut & nos remittimus debitoribus nostris. id est, delinquentibus in nos.

Quid per ea uerba petimus?

Petimus ut Deus grauissima nostra, quæ indices conera ipsum designamus, peccata condonare dignetur, & non delictorum nostrorum respectu, preces irritas facere, sed per suam gratiam nos clementer exaudire, & benigniter nobis cedere, ut nos etiam ijs, qui in nos deliquerunt, ex intimo cordis penetrati remittere possimus, habituri conscientiam alacrem, atq; securam ab omni terribilis futuri iudicij metu, atq; terrore.

Da sextam.

Et ne nos inducas in tentationem.

Hoc est, Ne patiaris, ut caro, mundus, Satanas, à recta fide nos ad perditionis uiam seducat.

Deum his uerbis oramus, ut nos custodire dignetur ac conseruare, ne per tentationes peccatorum, carnis, Diaboli, uel utriusq; fortune redigamur in peruersum sensum, aut intricemur, seducamurq; superstitionibus, incredulitate, desperationibus, aut alijs flagitijs contaminemur, sed ex omnibus tentationum periculis potenter emergamus, uictoriaq; per diuinum presidium potiamur.

Da septimam.

Sed

Q V A E S T I O N E S

Sed libera nos à malo. Id est, Ne patiar
re nos succumbere malo, sed nobis largiaris ut
gladio spiritus, qui est uerbum tuum, circumcimo
Et, spirituales astutias in caelestibus uincere, ac
palmam reportare possimus.

Petimus ut pater caelestis nos ab antiquo hoste
Satana protegere, et ab omnibus corporis & ani
mæ facultatum etiam nostrarum & bonorum pe
riculis atq; dissipatijs, liberare, Præterea in uitâ
nostræ termino salutarem exitum donare, tan
demq; nos ad sese in æterna tabernacula recipere
dignetur.

Da Appendicem.

Quia tuum est regnum, & potentia,
& gloria, in secula seculorum. Id est, Pre
ces nostras exaudire, nos uoti compotes facere,
& saluare poteris, qui Dominus Dominorum,
Ex quo, per quem, in quo sunt omnia, uisibilia uel
inuisibilia, quæ in caelis sunt, & quæ in terra, si
ue throni, siue dominationes, siue principatus, si
ue potestates. Tibi gloria in secula, Amen.

Quid significat Amen.

Significat certe, siue fiat. Adhibetur oratio
nis fini, ut simus omnino certi, petitionem nostrâ
caelesti nostro patri acceptam esse, & exauditû
iri, cû ipse iusserit sic orare, promiseritq; se nos
exauditurum. Amen, fiat, fiat.

Quomodo Deus est adorandus? 16

In spiritu & ueritate. Nam Deus est spiritus
 ac ueritas, Ergo Deum adorare uolentes, cum
 spiritu & ueritate oportet adorare.

Da Orationem Dominicam car-
 mine constrictam.

O pater, o rerum sola atq; eterna potestas,

Sub pedibus cuius sidera clara micant:

Da precor ut sancto cuncti ueneremur honore

Nomen in hoc toto qua patet orbe tuum.

Da, quo te uera tandem pietate colentes,

Fiamus regni pars quotacumq; tui.

Ac pariter toto caelo, totumq; per orbem,

Cuncta tuo arbitrio conuenienter eant.

Nec non praesemi uictum, pater optime, uita

Suffice, & haec solito corpora pasce cibo.

Atq; uti nos alijs, sic tu commissa uicissim,

Et nostrum nobis, quaeso, remitte nefas.

Nec nos tentari patiaris ab hoste, nec ultra

Quam tolerant uires, pectora nostra premi.

Sed simul a cunctis uitaeq; animaeq; periculis,

Praesidio fretos ipse tuere tuo.

Solus enim regnas, soli tibi summa potestas,

Gloriaq; in nullos emoritura dies.

Quomodo inuocas Deum, pro do-

cilitate consequenda, manè in

Scholam abiens?

Dico hanc precatiunculam:

O Domine Iesu Christe, qui teneræ

Q V A E S T I O N E S

etati docilitatis commodum addidisti
 adde, quaeso, ad naturae propensionem,
 auxilium gratiae tuae, ut literas ac disci-
 plinas liberales citius perdiscam, sed tuae
 gloriae seruituras, quarum adminiculis
 adiuta mens mea, plenius assequatur
 cognitionem tui, quem nosse, felicitatis
 humanae summa est, utque ad tuae sancti-
 simae pueritiae exemplum, indies profi-
 ciam, aetate, sapientia, gratia apud Deum
 & homines. Amen.

Quomodo Deo agis gratias de pro-
 fectu in studijs, uel peri è Scho-
 la domum rediens?

Dico hanc precatiunculam:

Ego tibi, benignissime Domine Iesu
 Christe, qui fons & dator es omnis sa-
 pientiae & intelligentiae, sine quo omnia
 nostra studia successu carent, ago gratias,
 quod mentem meam tua gratia illu-
 minasti, ad percipiendum honestas disci-
 plinas, da, quaeso, ut, quicquid hodie
 bonarum literarum addidici, fide-
 li id quoque memoria retineam, & in uita
 sum melioris uitae, & profectus literarum
 te, honestis moribus, & bonis literis
 feliciter promouens, comparem mihi
 doctorem

doctrinam, qua uti possim ad gloriam,
tui nominis illustrandam, & utilitatem
proximi augendam, atq; meam ipsius
salutem.

Quomodo inuocas Deum quoti-
die in omni necessitates

Dico sic:

Omnipotēs æternæ Deus, Pater Do-
mini nostri Iesu Christi, conditor omni-
um rerū, & conseruator, cum Filio tuo
& Spiritu sancto, sapiens, bone, miseri-
cors, iudex, & fortis, miserere mei, pro-
pter Iesum Christū filium tuum, quem
uoluisti pro nobis esse uictimam mirā-
do & inenarrabili cōsilio, sanctifica &
rege cor meū Spiritu sancto tuo, ut te
æternū & uerum Deum, qui te in filio
tuo Iesu Christo nobis patefecisti, uerè
inuocē, uerè tibi gratias agā, & obtēpe-
rem secundum tuā uoluntatem, in uero
timore, & uera fiducia erga te, Per Do-
minum nostrum Iesum Christum,
Amen.

DE CLAVIBVS

REGNI COELORVM.

Quæ sunt clauēs regni cœlorum?

Ministerium seu prædicatio Euāgelij de Iesu
Christo,

Q V A E S T I O N E S

Quo in loco scripturæ institutum est
Christo ministerium prædi-
candi Euangelij sui?

Apud Lucã capite decimo ait Christus: Qui uos audit, me audit. Et qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Item Matthæi capite decimosexto ait Christus ad Petrum, & nomine Petri ad omnes Apostolos, & ministros Euangelij: Tibi trado clauis regni cœlorum, quicquid alligaueris in terris, erit alligatum in cœlis. Et quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Et apud Ioannem capite uicesimo: Accipite spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt.

DE CONFESSIONE

Quid est Confessio?

Est peccatorum declaratio, & accusatio delinquentis.

Quis est confessiois usus?

Vt peccatorum mole grauatus homo peccator adfecta conscientia refrigeria consequatur, & ex uiuo Dei uerbo consolationes per Ecclesie ministrum accipiat.

Da confitendi formulam.

Ego miser homo confiteor, & conqueror tibi et accuso me corã Deo, quòd peccatis obnoxius
&

et incredulitatis et blasphemiae Dei plenus sum. Sentio enim uerbum Dei nullum in me facere fructum. Illud quidem saepius audio, sed inertia torpens, ex corde non amplector. Deinde charitatis officia erga proximum non exerco, irascor et inuideo illi, ipsam odio prosequor, me a magis quam illius querens. Sum impatiens, auarus, et ad omne peccatorum genus procliuius. Quamobrem cor meum, et conscientia mea ualde grauata sunt, libenterque ab huiusmodi peccatis liberarer. Obsecro ut uelis paruam ac debilem fidem meam confirmare, et consternatam meam conscientiam per uerbum Dei, atque absolutionem consolari, et erigere.

Da generalem confitendi formulam.

Confiteor tibi coelestis pater, quia peccavi nimis in uita mea, contra legem tuam, cogitatione, locutione, opere, et omissione. Quare cum Publicana dico? Deus propitius esto mihi peccatori, per unicum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Da formam Absolutionis.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos, et misereatur nostri. Benedicat nos Deus, Deus noster, et benedicat nos Deus, et metuant eam omnes fines terrae. Gloria patri, et filio, et c.

QVAESTIONES

Da Confessionem, uerbis
comprehensam.

Si quando crimen fuero prolapsus in ullum,
Protinus enitar, pura ut confessio lapsum
Erigat, atq; Dei ueniam solatia uerbo.

De fuga malorum hominum.
Improba pestiferi fugiam commercia coctus
Omnia, summo animi conatu, proq; uirili.

De restitutione rei fortè
repertæ.

Id quoq; restituam, si quid mihi fortè repertum
est,

Me penes haud patiar prudens aliena morari.

De fuga peccatorum.

Vitabo crimen totis pro uiribus omne,
Præcipue capitale, ferit quod uerberè pectus
Mortifero, ac animam letali uulnerat ictu.

De septem peccatis mortalibus.

Ne fastu tumeam, ne uel liuore maligno
Torquear, aut bili rapiar feruente cauebo,
Ne uel spurca libido, uel insatiabilis aluis,
Imperet enitar, ne turpis inertia uimcat.
Ne nunquam saturada fames me uexet habendi
Plus satis ut cupiam fallacis munera mundi.

De studio pietatis.

Huc uigili incumbam neruis, ac pectore toto,
Ut magis atq; magis superet mihi gratia, uirtus
Augescatq; pia diuina scientia menti.

DE IEIUNIO.

Da pia quid laxæ profint ieiunia
pubi?

RESPONSTIO.

*Cōstringunt sacro petulantia membra capistro,
Et carnem frenant, cohibentq; libidinis æstus,
Hinc studijs aptum faciūt, magis corpus honestis,
Ergo seruabit pubes ieiunia, certis.
Indicit quoties Ecclesia sancta diebus.*

DE SACRAMENTIS.

Quæ præterea sunt homini Chri-
stiano commoda, & necessa-
ria cognitu?

*Sana doctrina de Sacramentis, præcipue Ba-
ptismi, atq; Cœnæ Dominicæ.*

Quid est Sacramentum?

*Est, secundum Augustinum, rei sacræ uisibile
signum. Vel, inuisibilis gratiæ uisibilis forma.*

Quomodo dicuntur ista clarius?

*Est symbolum, uel diuinæ in nos gratiæ testi-
monium, externo signo confirmatum, cum mutua
nostræ erga Deum obseruantie, & pietatis erga
homines testificatione. Porrò signis eiusmodi sa-
cris Deus misericors suam gratiosam uolunta-
tem & communionem Christi per Ecclesiæ mini-
steriū nobis offert atq; donat, corroboratq; cre-
dentium fidem.*

QVÆSTIONES
DE BAPTISMI
SACRAMENTO.

Quid est Baptismus?

Non est simpliciter aqua, sed quæ diuino man-
dato inclusa, & uerbo Dei comprehensa con-
stat.

Vel, Est in aquâ immersio, uel per fusio in no-
mine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, per quâ
primitias spiritus accepimus, & principium al-
terius uitæ, ut sit nobis regeneratio, & sigillum
custodia, & illuminatio, ut ait Ioannes Damasce-
nus.

Da Baptismi definitionem.

Baptismus est Sacramentum, seu diuinum si-
gnaculum, quo certò significat Deus Pater, per
Iesum Christum filium suum, cum spiritu sancto,
quòd sit ei, qui baptizatur, clemens Deus, ac rei-
mittat ipsi peccata, & adoptet ipsum in filium,
& heredem omnium celestium bonorum.

Quibus uerbis institutum à Chri-
sto Sacramentum Baptismi?

Matth. ultimo, ubi Dominus noster Iesus Chri-
stus dicit: Data est mihi potestas in cælo et in ter-
ra, Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizate
eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Quid præstat aut confert
Baptismus?

Operatur

Operatur condonationem peccatorum, liberat à morte, & Diabolo, & donat eternam beatitudinē omnibus ijs, qui uerè credunt hoc, quod uerba, & promissiones diuinæ pollicentur.

Da istas promissiones diuinæ.

Dominus noster Iesus Christus, Marci ultimo dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluum erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur.

At qui potest aqua tam magnas res efficere?

Aqua proculdubiò non efficit, sed uerbū Dei iuxta aquam, & unà cum aqua, & fides, quæ tali uerbo Dei in aqua firmiter credit. Quippe aqua sine uerbo Dei, simpliciter est aqua, & non Baptismus, sed cum uerbum Dei adijcitur, Baptismus fit, hoc est, Salutaris aqua uitæ, & laudæ ræ generationis in spiritu sancto, quo nos Dominus emundat ac inserit filio suo dilecto, & Ecclesie. Nobis item sancti spiritus communionem donat, eternæq; uitæ hereditatē, quæ per fidem certò consequimur.

Vnde collectum id habes?

Ex Diuo Paulo, Qui ad Titum capite tertio sic ait: Postquam bonitas, & erga omnes homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt iniustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit,

Q V A E S T I O N E S

per lauacrum regenerationis & renouationis
spiritus sancti, quem effudit in nos opulentiè, per
Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati
in illius gratia, heredes efficeremur, iuxta scripturam
uite aeternae. Indubitatus sermo.

Quid in aquam ista signi-
ficat immersio?

Significat quòd uetus Adā debet subinde per
mortificationem, ac poenitentiam in nobis submer-
gi, & extingui, cum omnibus peccatis & malis
còcupiscentijs, contra nouus homo quotidie rur-
sus emergere, ac resurgere, qui in sanctitate ac in-
finita coram Deo uiuat in aeternum. Inuit item
nos de ablutione & remissione peccatorum certi-
tos esse per Christum, si modò eidem uera fide
adhaerimus. Docet item nos ad illum, si deflexe-
rimus per delicta, reuerti debere, & à profundo
scelerum emergere, donec in nobis per mortem
& resurrectionem abluat, tollatq; funditus om-
nia peccata.

Vbi legis hoc scriptum?

Apud Sanctum Paulum, qui ad Romanos scri-
pto dicit: An ignoratis, quòd quicumq; baptiza-
ti sumus in Christum Iesum, in mortem eius bap-
tizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo
per baptismum in mortem, ut quemadmodum ex-
citat us est Christus ex mortuis per gloriam Pa-
tris, ita & nos in uouitate uitae ambulemus. Et
Colossens.

Colossensibus ait: Consepulti sumus cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis.

Item ad Ephesios capite sexto ait: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis.

De Sacramentum Baptismi carmine conscriptum.

Stelliferam Christus uictor scansurus ad arcem,

Discipulis dixit talia uerba suis?

Ite per omniuagæ finis telluris, & omnes

Sancta creaturas uerba docete mea.

In Patris, ac Gnati, Paraleti spiritus atq;

Nomine, mortales fonte lauate sacro.

Qui bene crediderit, qui lotus & amne salubri,

Saluus, & æterna lege beatus erit.

Sed quicumq; fide cassus, pietatis & expers,

Is damnatus homo Tartara summa petet.

Quid est Sacramentum?

Est signum nos diuinarum promissionum admonens, & de uoluntate Dei beneuola testans, ad excitandam, & confirmandam fidem nostram, cœlitus institutum.

Quibus

Q V A E S T I O N E S

Quibus nominibus Sacramenta
solent appellari?

*Alij uocant signa, alij notas, alij tesserat, Syme-
bola, sacramentalia signa, Graeci σφραγιδας.*

DE SACRAMENTO

E V C H A R I S T I A E, S I V E

Cœna Domini.

Q V A E S T I O.

Quid est faciendum, ut confirmemus
fidem nostram in aduersis, & acci-
piamus consolationem in
afflictionibus?

Vtendum est Cœna Domini.

Quid est cœna Domini?

*Cœna Domini est sacramentum, seu diuinū
signaculū, quo Christus uerè præsens, offert ac
donat nobis pane & uino corpus & sanguinem
suum, & certificat nos, quòd remittantur nobis
peccata, & pertineat ad nos ius uitæ æternæ.*

Vel,

*Sacramentum Cœnæ Domini est uerū cor-
pus, et uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi,
sub pane & uino, nobis Christianis ad manducan-
dum & bibendum, ab ipso Christo institutum,
non ad corporis nutrimentum, sed animæ salutis
remedium.*

Vbi legis hoc scriptum?

sic

Sic Euangelistæ sancti scribunt, *Mattheus, Marcus, Lucas & S. Paulus:*

Dominus noster Iesus Christus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem, postquam gratias e-
gisset, fregit ac dixit: Accipite, comedite. Hoc est
corpus meum, quod pro uobis datur: hoc facite
in mei commemorationem.

Similiter & postquam cenauit, accepto ca-
lice cum gratias egressus, dedit illis, dicens: Bibite
ex hoc omnes. Hic calix nouum testamentum est
in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in re-
missionem peccatorum. Hoc facite quotiescun-
que biberitis, in mei commemorationem. Quo-
tiescunq; enim manducabitis panem hunc, & ca-
licem biberitis, mortem Domini annuntiabitis,
donec ueniat.

Quid uerò prodest sic come-
disse & bibisse?

Vt eo nutrimento nos uiuamus Christo, & in
nobis ipse augeatur, item ut fidei robur, animæ
consolationem, peccatorum remissionem, & æter-
nam deniq; uitam consequamur, quod ipsa uerba
testantur, nempe, Hoc est corpus meum, quod pro
uobis traditur, Hic est sanguis meus, qui pro uo-
bis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc no-
uum testamentum, nouum & æternum pactum,
quo filij Dei & heredes redditi sumus. Adeoq;
nobis in Sacramento donatio peccatorum, uita

QV AESTIONES

Et iustitia, per hæc uerba tribuuntur. Vbi enim remissio peccatorum, ibi est uita, et iustitia.

Ad Sacramentum Altaris accessu
ro puero quot erunt con
sideranda?

Duo potissimum. Externa signa, siue symbola.
Deinde promissio diuina, quæ finalis signorum
causa.

Quid faciunt signa?

Nihil aliud, nisi ut nos diuinarum promissio-
num admoneant, de beneuola Dei erga nos uo-
luntate testentur, exerceant, moueant, et inflam-
ment ad credendum corda nostra, animosq; fir-
mam in fidem erigant.

Quid in hoc Sacramento nobis
est promissum?

Diuina gratia credemibus, ac peccatorum
remissio.

Confert ne corporis ista mandu-
catio salutem, & peccatorum
remissionem?

Manducare et externum illud bibere non
conferunt, sed magis illa uerba Dei, nempe, Pro
uobis datur, et effunditur in remissionem pecca-
torum. Quæ uerba sunt circa corporalem huius
cibi ac potus participationem, tanquam caput et
summa in Sacramento. Et qui uera fide conce-
pta credit his uerbis, ille habet quod dicunt, ac so-
nant.

nant, nempe, Remissionem peccatorum.

Conducunt ne ad sumendum corpus Christi ieiunia?

Non obsunt corde profecta pio. Nam ieiunare, & corpus præparare, non malum est exercitiam, sed externa bona disciplina. Porrò Melitarum catellarum est, ab unctis popinis ad Domini Mensam, illotis (ut aiunt) manibus accedere.

Quis autem utitur hoc Sacramento dignè?

Domini corpus & sanguinem dignè sumunt ij, quos peccatorum agnitio pungit, quos admissorum poenitet, Qui correctæ uita accedunt, gratiam petunt, uera fide accipiunt, creduntq; firmiter ijs uerbis: Quod pro uobis traditur, Qui pro uobis effunditur, in remissionem peccatorum. Nam qui uerbis hisce non credunt, sed hesitandi dubitant, prorsum indigni sunt tanto Sacramento.

Cur Dominus adiicit: Hoc facite in mei commemorationem?

Ea uerba subdit, ut recordemur passionis et effusionis sanguinis Christi, vt in memoriam reuocemus, quid pro nobis ille factus fuerit, quid nostra causa fecerit, quòd ineffabilem æterni Patris erga nos amorem ostenderit, quòd perditos nos infernali damnationi filios obnoxios precioso sanguine suo redemerit.

Deinde

Q V A E S T I O N E S

Deinde monemur, ut nostra delicta agnoscentes ad oblatam gratiam nos erigamus, sitientes ac saepius ad Domini mensam accedamus, fidem nostram confirmemus, gratias item Deo pro tantis beneficijs agamus, ac glorificemus. Fidei deniq; fructum, & charitatis erga proximum opera proferamus. Amen.

Da sacrata Eucharistiæ uerba
carmine comprehensa.

Nocte sacramentū Dominus qua traditus hosti
 Instituit, pacti foedera certa noui.
 Accepit panem, gratesq; ubi ritè peregit,
 Discipulis tribuit, sic referendo suis:
 Esse meum corpus credentes sumite panem,
 Quod modò pro uobis funera dira luet.
 Hunc quoties editis, memores bene, clara refert
 Ex equo uite facta, necisq; meæ.
 Sic ubi coenauit, uini liquore repleta
 Apprendit manibus pocula deinde sacris
 Utq; Patri grates solita pietate peregit,
 Porrexit socijs illa bibenda uiris,
 Atq; ait: Hoc iubeo, cuncti simul inde bibatis,
 Munera sunt ueri sanguinis ista mei.
 Què modò pro uobis, crucifixo corpore, fundis
 Ut sit peccati gratia cuiq; sui.
 Hunc quoties bibitis, memores bene, clara refert
 Ex equo uite facta, necisq; meæ.

Da

De præcipuum Dominici
corporis usum.

Mysticus ille cibus (Græci dixerunt Synaxin)
Sub panis uiniq; palam sub imagine, Christum
Præsentem nobis uerè dans, intima nostri
Viscera cœlesti sagnat, & educat esca,
Inq; Deo reddit uegetos, & reddit adultos.

Q. VAESTIONES ALIQUOT SA-
cræ, de Sacramento Altaris, ad usum Iuuentutis,
è Germanico D. Mart. Lutheri recens
conuersæ, Per Rein. Hada-
marium.

Post habitam confessionem, & luculentam
Decem præceptorum, Orationis Dominicæ,
Symboli Apostolici, uerborum item Baptismi, &
Eucharistiæ informationem præmissam, poterit
Verbi minister, peccata sibi confessum puerum,
aut quilibet seipsum interrogare, iuxta questio-
num insequentiæ formulas.

PRIMA QVAESTIO.

Credis ne te peccatorem esse?

RESPONSIO.

Maximè. Sum enim peccatis obnoxius, & sa-
mi scelerum genere conspurcatus.

Vnde id exploratum habes?

Habeo perspectum è Decem præceptis, quæ
nunquam seruauit.

QVÆSTIONES

Displicent ne tibi peccata tua, cor-
rumq; te pœnitet?

Afficior dolore propter peccata mea, quæ cõ-
tra Deum impiè designavi.

Quid apud Deum peccatorum ra-
tione commertus es?

Indignationem & iram diuinam, tempora-
riam mortem, eternamq; damnationem. Roma-
nos 6.

Speras ne te consecuturum
animæ salutem?

Non diffido: Certam enim eterna uite spem
concepi.

Quis igitur in eam te spem erigit,
ac tantam affert fiduciam?

Dominus meus clementissimus Iesus Christus.

Quisnam est ille Iesus
Christus?

Filius Dei, uerus Deus, & uerus homo.

Quotnam deos opinaris esse?
Vnum credo Deum: Scio tamen tres perso-
nas esse, Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Quidnam Christus pro te fecit, ut
tantam in eodem habeas spem
atq; fiduciam?

Mortuus est pro me, & preciosum suum in
cruce sanguinem effudit in meorum peccatorum
remissionem.

Estne

Estne Deus pater etiam pro te passus, atq; mortuus?

Mximè. Nā Pater Deus est, Sanctus itē spūs. Atqui Filius, ut uerus Deus, ita uerus homo, pro me mortuus est, ac pretiosum effudit sanguinē.

Ex qua re cognitum id habes?

Id mihi planum facit Euāgelica doctrina, Verba item de Cœna Domini, præterea corpus eius, atq; sanguis, quæ mihi in Sacramento uelut arrabonem gratiæ ac salutis offert.

Vbi leguntur Christi uerba de Sacramento?

Apud Euāgelistas, & Sanctum Paulum ita legitur: In ea nocte, qua traditus est Iesus, accepit panem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum accipito poculo, gratias agit, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Quotiescunq; biberitis, facite in mei recordationem.

Credis igitur in Sacramento uerum Christi corpus, & sanguinē esse?

Firmiter credo.

Vnde id persuasum habes?

Certum me faciunt uerba Christi: Accipite,

Q V A E S T I O N E S

inquit, edite, Hoc est corpus meum. Et, Bibite o-
maes, Hic est sanguis meus.

**Quid facere debemus esuri corpus
Christi, eiusq; sanguinem bibituris
& ea quali pignora salutis
accepturi?**

*Amaram eius mortem annunciare debemus,
memores eorum, quæ dixit: Hoc facite in mei
commemorationem.*

**Cur mortis eius recordari debemus,
& eam annunciare donec ueneritis?**

*Vt discamus credere, nullam omnino creatu-
ram, sed solum Christum Deum & hominem sa-
tis facere potuiss. pro peccatis nostris. Deinde no-
strorum delictorum causa consuescamus exhor-
rescere atq; pauitare, eademq; non leuia, sed gra-
uissima ducere. Postremo persuasum habeamus,
unicam nobis in Christo spem atq; consolationem
esse repositam, ut per solã fidem in salutis por-
tum appellere ualeamus.*

**Quid Christum permouit pro pec-
catis tuis mori, atq; satisfacere?**

*Ineffabilis amor, quo dilexit Deum Patrem.
Charitas item immensa, quam erga me, simul ac
alios miseros peccatores habuit. Ioannis 14. Ro-
man. 5. Gal. 2. Ephe. 5.*

**Cur ad Altaris Sacramentum
intendis accedere?**

Ut discam credere Deum & hominem Christum charitate maxima permotum uoluisse propter peccata mea mori. Deinde illius exemplo discam diligere Deum, & amore proximum meum prosequi.

Quidnam debet hominem Christianum allicere, & exhortari, ut sæpius adeat Domini mensam?

Principiò ad tam sacras epulas prouocare debet ac instigare mandatum et promissio Christi. Deinde permouere diuexans propriorum delictorum conscientia, atq; necessitas, uniuscuiusq; hominis corda corrodes & infestans. Cuius rei causa diuina præceptiones, allectationes, atq; promissiones sunt exhibitæ.

Quid faciet homo, si nullos in pectore suo malæ conscientia stimulos, nec ullam medicina necessitatē tenuerit, neq; repererit in se ullam esuriem, aut sitim cœnæ Dominicæ?

Huic nullum aliud melius dari poterit consilium, quàm ut in seipsum descendat, & conscientiam excutiendo probet, an carne constet, atq; sanguine. Mox perspiciat quidnam ista de re sacra loquantur literæ, Rom. 6. Gal. 5. Deinde perlustret, an adhuc in mundo uiuat, cogitetq; se nõ posse sine peccatis, aut prauorum affectuum im-

Q V A E S T I O N E S

pressionibus mihi uersari, quemadmodum scriptura testatur, Ioannis 15. & 16. Item 1. Ioannis 2. Postmodum obseruabit ceruicibus suis diebus atq; noctes impedere Diabolum insultanem, quo uarijs mendaciorum et homicidiorum machinis internis & externis tamisper hominem oppugnare solet, dum expugnet, atq; disperdat. Sic etiam depingit illum scriptura, Ioannis 8. & 16. Item 1. Petri 1. Ephesios 6.

DVODECIMVM DIUI

Pauli ad Romanos caput.

De operibus fidei, & charitatis erga proximum.

Obscuro uos fratres, per miserationes Dei, ut praebeat corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum. Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestrae, ut probetis quae sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq; & perfectum. Dico enim uobis per gratiam, quae data est mihi, cui libet uersari inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quam oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit, & sobrius, ut cuique Deus partitus est mensuram fidei. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra uero omnia eundem non habent actum, sic multi unum cor

pus sumus in Christo, singulatim aut, alij aliorum
 membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam
 nobis datam uaria, siue prophetiam iuxta portio-
 nem fidei, siue ministerium in administratione, si-
 ue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in
 exhortatione, qui impertit in simplicitate, qui
 praest in diligentia, qui misretur in hilaritate. Di-
 lectio sit non simulata, sitis odio prosequentes
 quod malum est: adherentes ei, quod bonum est, per
 fraternam charitatem, ad mutuum uos diligendos pro-
 pensis, honore alius alium praecedentes, studio non
 pigri, spiritu seruentes, temporis seruientes, se gau-
 dentes, in afflictione patientes, precationi instan-
 tes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospi-
 talitatem sectantes. Bene loquamini de ijs, qui uos
 insectantur, bene loquamini, inquam, et ne male
 precemini. Gaudete cum gaudentibus. et flete cum
 fletibus, eodem animo alij in alios affecti, non arro-
 gauer de uobis ipsis semicetes, sed humilibus uos
 accommodantes. Ne sitis arrogantes apud uosmet
 ipsos, neque cuiquam malum pro malo reddatis. Pro-
 uide parates honesta in conspectu omnium hominum:
 si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus
 hominibus in pace uiuentes, non uosmetipsos ul-
 ciscemes dilecti, quin potius date locum ire. Scri-
 ptum est enim: Mihi ultio, Ego rependam, dicit
 Dominus. Si igitur esurit inimicus tuus, pascere il-
 lum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, car

Q V A E S T I O N E S

bones ignis coaceruabis in caput illius. Ne uince-
ris à malo, imò uince bono malum.

DECIMUM TERTIUM.

De obedientia erga maiores, charitate
mutua, quæ cōsummatio legis est.

Omnis anima potestatibus excellen-
tibus subdita sit. Nō n. est potestas, nisi à Deo:
quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinate sunt.
Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi
resistit, qui autem resistit, sibi ipsis iudiciū ac-
cipient. Nam principes non terrori sunt bene-
genibus, sed malè. Vis autem non timere potesta-
tem? Quod bonum est facito, & fere laudem ab
illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Quòd si
feceris id quod malum est, time. Non enim frustra
gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad-
iram ei, qui quod malum est fecerit. Quapropter
oportet esse subditos, non solum propter iram,
uerum etiam propter cōscientiam. Propter hoc
enim et uectigalia soluitis. Siquidem ministri Dei
sunt, in hoc ipsum incumbemes. Reddite igitur
omnibus, quod debetur, cui tributū, tributū: cui
uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui hono-
rem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi
hoc, ut inuicem diligatis. Nā qui diligit alterum,
legem expleuit, siquidem illa: Non adulterabis,
non occides, non furaberis, non falsum testimo-
nium dices, non concupisces, & si quod aliud præ-
ceptum.

ceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, Nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Cōsummatio itaq; legis, est dilectio. Præsertim cum sciamus tempus, quòd tempestiuum sit, nos iam à somno expergisci. Nunc enim propius adest nobis salus, quam tum cum credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die compositè ambulemus, non comessationibus, & ebrietatibus, nō cubilibus, ac lasciujs, non contentione et emulatione, sed induamini Dominum nostrum Iesum Christum Et carnis curam ne agatis ad concupiscencias.

DECIMUM QVARTVM.

De delectu cibi & temporū, Scandala cauenda.

Porrò cum qui infirmatur fide, assumite, nō ad dijudicationes disceptationū. Alius quidem credit uescendum esse quibuslibet. Alius autē qui infirmus est, holeribus uescitur. Qui uescitur, non uescentē non despiciat Et qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas de alieno famulo? Pro prio domino stat, aut cadit, imò fulcietur, ut stet. Potēs enim est Deus efficere ut stet. Hic quidem iudicat, diem ad diem conferens, ille autem idem iudicat de quouis die. Vnicuiq; sua mens satisfā-

Q V A E S T I O N E S

eiat. Qui curat diem, Domino curat. Et qui non
 curat diem, Domino nō curat. Qui uescitur, Do-
 mino uescitur, gratias enim agit Deo, Et qui non
 uescitur, Domino non uescitur, & gratias agit
 Deo. Nullus enim nostrum sibiip̄si uiuit, et nullus
 sibiip̄si moritur. Nam siue uiuimus, Domino uiui-
 mus, siue morimur, Domino morimur. Siue igitur
 uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc
 enim Christus & mortuus est, & resurrexit, &
 reuixit, ut mortuis & uiuentibus dominetur. Tu
 uerò cur iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu
 cur despicias fratrem tuum? Omnes enim statu-
 mur apud tribunal Christi. Scriptū est enim: Vi-
 uo ego, dicit Dominus, Mihi sese flectet omne ge-
 nus, & omnis lingua confitebitur Deo. Igitur u-
 nusquisq; nostrum de seip̄so rationē reddet Deo.
 Ne posthac igitur alius alium iudicemus, uerū
 illud iudicate magis, ne offendiculū ponatur fra-
 tri, aut lapsus occasio. Novi siquidem & per sua-
 sam habeo per Dominum Iesum, nihil esse cōmu-
 ne per se, nisi ei qui existimat aliquid esse cōmu-
 ne, illi cōmune est. Verū si propter cibū si aliter
 tuus cōtristatur, non iam secundū charitatē am-
 bulas. Ne cibo tuo illū perdas, pro quo Christus
 mortuus est. Ne uestrū igitur bonum hominū ma-
 ledicentiæ sit obnoxium. Non enim est regnum
 Dei cibus ac potus, sed iustitia, & pax, & gaudi-
 um in spiritu sancto. Etenim qui per hæc seruit
Christo

Christo, acceptus est Deo, & probatus hominibus. itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ adificationis, alius erga alium. Ne cibi causa destruas opus Dei. Omnia quidem pura, sed malum est homini, qui per offendiculū uesitur. Bonum est nō edere carnes, neq; bibere unum, neq; quicquam per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Tu fidē habes: apud te metipsum habe coram Deo. Beatus qui non iudicat seipsum, in eo quod probat. At qui diiudicat, si ederit, cōdemnatus est, quoniam non edit ex fide. Porro quicquid ex fide non est, peccatum est.

PRIMAE AD CORINTHIOS

Caput XIII.

Varia dona Dei. Melior horū charitas.

Silinguis hominum loquitur, & angelorū, charitatem autē nō habē, factus sum æ resonās, aut cymbalū tinniens. Et si habē prophetiam, & nouerim mysteria omnia, omnemq; scientiam, & si habeam fidem, adeo ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si infusam in alimoniam omnes facultates meas: & si tradam corpus meum ut comburam, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio. Charitas patiens est, benigna est, charitas non inuidet, charitas non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non querit quæ sua sunt, non irascitur, non cogitat malum, non gaudet de iniuria:

Q V A E S T I O N E S

stitia: sed congaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam excidit, siue prophetiae abolebitur, siue linguae cessabunt, siue sciencia abolebitur. Ex parte. n. cognoscimus, & ex parte prophetamus, Ast ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam. At ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam quem admodum & cognitus sum. Nunc autem manet fides, spes, caritas: tria haec, sed maxima in his caritas.

P A R S Q V I N T I C A
pitis ad Galatas.

Charitatis cōmendatio, pugna carnis & spiritus, ac fructus eorundem.

Vos in libertatem uocati fuistis fratres, tamen ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite uobis inuicem. Nam tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc, Diliges proximum tuum ut te ipsum. Quod si alius alium uicissim mordetis, & deuoratis, uidete ne uicissim alius ab alio consumamini. Dico autem spiritui ambulare, & concupiscentiam carnis non perficietis, Nam caro concupiscit aduersus spiritum.

Spiritus autē aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficium, inimicitia, lis, emulationes, iræ, concertationes, seditiões, sectæ, inuidia, cades, ebrietates, comessationes, & his similia, de quibus prædico uobis, quem admodum & prædixi, q, qui talia agunt, regni Dei heredes non erunt. Contra, fructus spiritus est, Charitas, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Auersus huiusmodi non est lex. Qui uerò sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs. Si uiuimus spiritu, spiritu & incedamus, ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, ad inuicem nos prouocantes, inuicem iridentes.

AD EPHESIOS CAPVT

secundum.

Misericordia & gratia Dei, beneficia in nos.

VOS cū essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquādo ambulastis iuxta seculum mundi huius, iuxta principē, cui potestas est æris, qui est spiritus, nūc agens in filijs immortæris, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ, faciētes

quæ

Q V A E S T I O N E S

que carni ac menti libebant, & eramus naturi
 filij ire, quemadmodum & ceteri. Sed Deus qui
 diues est in misericordia, propter multam chari-
 tate suam, qua dilexit nos, etiã cum essemus mor-
 tui per delicta, conuiuificauit nos unã cū Christo,
 (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resur-
 rexit, & simul cum eo sedere fecit inter coele-
 stes, in Christo Iesu, ut ostenderet in seculis su-
 peruentibus eminentẽ opulentiã gratiẽ suã
 benignitate erga nos per Christum Iesum. Gratia
 enim estis seruati per fidẽ, idq; non ex uobis. De-
 donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur in
 ipsius sumus firmamentum, cõditi in Christo Iesu ad
 opera bona, quæ preparauit Deus, ut in eis an-
 bularemus. Quapropter mementote, q; uos quon-
 dam genes in carne, uocabamini preputium, ab
 ea quæ uocatur circumcisio in carne, quæ circū-
 cisio manibus fit, q; inquam, eratis in illo tempore,
 sine Christo, ab alienati à republica Israël, et
 extranei à testamẽtis promissionis, spem non ha-
 bentes, Deoq; carentes in mundo. Nunc autẽ per
 Christum Iesum uos, qui quondam eratis longin-
 qui, propinqui facti estis per sanguinem Christi.
 Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unũ,
 & interstitium maceriæ diruit, simultatem per
 carnem suam, legem mädatorum in decretis suis
 abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum
 nouum hominem, faciens pacem, & ut reconcilia-
 ret

ret ambos in uno corpore Deo per crucem. per-
 empta inimicitia per eam, & ueniens euangeli-
 zavit pacem uobis, qui procul aberatis, & ijs
 qui propè. Quoniam autem per illum habemus
 aditum utriq; in uno spiritu ad patrem. Iam igitur
 non estis hospites & incolæ, sed conciuues san-
 ctorum, ac domestici Dei, superstructi super fun-
 damentum Apostolorum, ac Prophetarum, sumo
 angulari lapide ipso Iesu Christo, in quo quæ-
 cunq; structura coagmentatur, ea crescit in tem-
 plum sanctum in Domino, in quo & uos coædifi-
 cabimini in habitaculum Dei per spiritum.

CAPVT QVINTVM.

Hortatur ad patientiam, charitatem, pa-
 cem, Dona communicanda, concupis-
 centiæ carnis frenandæ, in noui-
 tate uitæ ambulandum.

Sitis imitatores Dei, tanquam filij dilecti, &
 ambuletis in dilectione, quemadmodum &
 Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro
 nobis oblationem ac uictimam Deo in odorem bo-
 ne fragrantie. Ceterum scortatio, & omnis im-
 munditia, aut auaritia, ne nominetur quidem in-
 ter uos, sicut decet sanctos: aut obscœnitas, aut
 stultiloquium, aut urbanitas, quæ non conueni-
 unt, sed magis gratiarum actio. Nam hoc scitis,
 quod omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui
 est

Q V A E S T I O N E S

est simulacrorum cultor, non habet hereditatem
 in regno Christi & Dei. Ne quisquam uos deci-
 piat in anibus sermonibus. Propter hæc enim ne-
 rere solet ira Dei in filios inobedientes. Ne sit
 igitur consortes illorū. Eratis enim quondā tene-
 bræ, nunc autem lux in Domino: ut filij lucis am-
 bulate (nam fructus spiritus situs est in omni boni-
 tate, & iustitia, & ueritate) probantes, quid sit
 acceptum Domino: & ne commercium habueri-
 tis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea
 potius etiam arguite. Nam quæ secretò fiunt ab
 istis, turpe est uel dicere. Sed omnia dum produ-
 tur à luce, manifesta fiunt. Nam quicquid manife-
 stum redditur, lumen est. Quapropter dicit: Ex-
 pergiscere qui dormis, & surge à mortuis, &
 illucescet tibi Christus. Videte igitur quomodo
 circumspectè ambuletis, non ut insipientes, sed ut
 sapientes, redimentes occasionem, & dies mali-
 sint. Propterea ne sitis imprudens, sed intelli-
 gentes, quæ sit uoluntas Domini. Et ne inebriemini
 uino, in quo luxus est, sed implemini spiritu, lo-
 quentes uobismetipsis per Psalmos, et hymnos, lo-
 cationes spirituales, canentes ac psallentes in cor-
 de uestro Domino, gratias agentes semper de om-
 nibus, in nomine Domini nostri Iesu Chri-
 sti, Deo & Patri. Subditi uicissim,
 alius alij cū timore Dei.

P R I M A E

Renatos decere puritatem uitæ, obedi-
entiam erga Magistratum, &c.

DEposita omni malitia, & omni dolo, &
simulationibus, & omnibus obreſtatio-
nibus, ut modò nati infames, lac illud non corpo-
ris, sed animi, quod dolum nescit, appetite, ut per
illud suboleſcatis. Siquidem gustatis, quòd beni-
gnus sit Dominus. Ad què accedentes, qui lapis
est uiuus, ab hominibus quidè reprobatus, apud
Deum uerò electus, ac preciosus: ipsi quoq; ueluti
uui lapides ædificemini, domus spiritalis, sa-
cerdotium sanctum, ad offerendum spiritalis
hostias, acceptabiles Deo, per Iesum Christum,
quapropter et continet scriptura: Ecce pono in
Sion lapidè, in summo ponendum angulo, electũ,
preciosum. Et qui crediderit in illo, nõ pudeſiet.
Vobis igitur preciosus est, qui creditis. Cæterum
ijs qui non credunt, lapis quem reprobauerunt æ-
dificantes, hic cœpit esse caput anguli, & lapis in
quem impingitur, & petra, ad quam offendant,
nempe ijs qui impingunt in sermonè, neq; credunt
in id, ad quod & instituti fuerant. Vos autem ge-
nus electum, regale sacerdotium, gens sancta, po-
pulus qui in lucrum accessit, ut uires prædicetis
illius, qui è tenebris nos uocauit in admirabilem
suam lucem, Qui quondam eratis non populus,

Q V A E S T I O N E S

nunc populus Dei, qui quondam nō consecuti mi-
 sericordiam, nunc estis misericordiam cōsecuti.
 Dilecti, obsecro tanquā aduenas ac peregrinos,
 abstinete à carnalibus concupiscentiis, quæ mili-
 tant aduersus animam: et conuersationem uestrā
 habete honestā inter gentes, ut in hoc quod ob-
 tractam uobis quasi maleficis, ex bonis operibus
 estimames uos, glorificem Deum in die uisitatio-
 nis. Proinde subditi estote cuius humane creatu-
 ræ propter Dominum, siue regi tanquam præ-
 cellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittatur
 ad uindictam quidem nocentium, laudē uerò re-
 ctè agentium: quoniam sic est uoluntas Dei, ut be-
 nefaciendo obturet os hominibus ignorantibus,
 tanquam liberi, & non ueluti prætextum haben-
 tes malitiæ libertatem, sed tanquam serui Dei. Om-
 nes honorate, fraternitatē diligite, Deum time-
 te, Regem honorate. Famuli subditi sint cū timore
 domini, non solum bonis ac humanis, uerum
 etiā prauis. Nam hæc est gratia, si quis propter
 conscientiam Dei, suffert molestias, præter meri-
 tum affectus malis. Quæ enim est laus, si cū pec-
 cantes alapis cædimini sufferetis? At si cū bene-
 facitis, et tamen malis afficimini, sufferitis. Hæc
 enim est gratia apud Deum. Siquidem in hoc uo-
 cati estis, quoniam & Christus afflictus est pro
 nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequere-
 mur uestigia ipsius, qui peccatum nō fecerat, nec
inuenit

inuentus dolus in ore illius, qui cum maledictis in-
 cesseretur, non remaledixit: quum malis afficeretur,
 non minabatur, sed tradidit uindictam ei,
 qui iudicat iuste, qui peccata nostra ipse pertulit
 in corpore suo super lignum, quò peccatis mor-
 tui iustitiæ uiueremus. Cuius eiusdem uibice sa-
 nati fuistis. Nam eratis uelut oves errantes, sed
 conuersi estis nunc ad pastorem, & curatorem
 animarum uestrarum.

PRIMAE S. IOANNIS
 Apostoli, Caput tertium.

De amore Dei, & dilectione
 proximi.

Videte qualem charitatem dedit nobis pa-
 ter, ut filij Dei nominemur. Propter hoc
 mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Cha-
 rissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparu-
 it, quod futuri sumus. Scimus autem, quoniam si
 apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus
 eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in
 eo, purificat se, sicut & ille purus est. Omnis qui
 committit peccatum, idem & iniquitatem com-
 mittit: & peccatum est iniquitas. Et scitis
 quòd ille apparuit, ut peccata nostra tolle-
 ret, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo
 manet, non peccat, omnis qui peccat, non uidit e-
 um, nec cognouit eum. Filioli, nemo uos seducat.

Q V A E S T I O N E S

Qui exercet iustitiam, iustus est, sicut & ille iu-
 stus est. Qui cōmittit peccatum, ex Diabolo est,
 quoniam ab initio Diabolus peccat. Ad hoc appa-
 ruit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. Omnis
 qui natus est ex Deo, peccatū nō committit, quon-
 niam semen ipsius in eo manet, & non potest pec-
 care, quōd ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt
 filij Dei, & filij Diaboli. Omnis qui non facit iusti-
 tiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem
 suum. Quoniam est haec annuntiatio, quam audi-
 stis ab initio, ut diligatis uos inuicem, Non sicut
 Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum.
 Et propter quid occidit eum? Quia opera eius
 mala erant, fratris autē eius iusta. Ne miremini,
 fratres mei, si odit uos mundus, Nos scimus quōd
 translati sumus de morte ad uitam, quia diligi-
 mus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in
 morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida
 est. Et scitis quōd omnis homicida non habet uitā
 aeternam in se manentem. Per hoc cognouimus
 charitatē, quoniam ille animam suam pro nobis po-
 suit, et nos debemus pro fratrib. animas ponere,
 Qui uerō habuerit substantiam mundi, & uide-
 rit fratrem suum egenum, & clauscrit uiscera
 sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo: Fi-
 lioli mei, ne diligamus uerbo neq; lingua, sed ope-
 re & ueritate. Per hoc cognoscimus, quōd ex ue-
 ritate sumus, & in cōspectu eius suadebimus cor-
 dibus

aibus nostris, Quoniam si condemnet nos cor no-
 strum, maior est Deus corde nostro, & nouit om-
 nia. Charissimi, si cor nostrum non condemnet
 nos, fiduciam habemus erga Deum, & quicquid
 petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta
 eius custodimus, & ea quæ sunt placita corã eo,
 facimus. Et hoc est præceptum eius, ut credamus
 nomini filij eius Iesu Christi, et diligamus nos mu-
 tuo, sicut dedit præceptum. Et qui seruat præce-
 pta eius, in illo manet, et ipse in eo. Et per hoc sci-
 mus, quod manet in nobis è spiritu, quem nobis de-
 dit.

Q V A R T V M C A P V T.

De discrimine spirituum, Amore
 Dei & proximi.

Charissimi, ne cuius spiritui credatis, sed
 probate spiritus, an ex Deo sint, quoniam
 multi pseudoprophetae exierunt in mundum. Per
 hoc cognoscimus spiritum Dei: Omnis spiritus qui
 confiteatur Iesum Christum in carne uenisse, ex
 Deo est. Et omnis spiritus, qui non confiteatur Ie-
 sum Christum in carne uenisse, ex Deo non est.
 Et hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis,
 quod uenturus sit, et nunc iam in mundo est. Vos
 ex Deo estis, filioli, et uicistis eos, quoniam maior
 est, qui in uobis est, quam qui in mundo. Ipsi è mū-
 do sunt, ideo è mundo loquuntur, & mundus eos
 audit. Nos ex Deo sumus, Qui nouit Deū, audit

Q V A E S T I O N E S

nos: qui non est ex Deo, non audit nos. Per hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris Charissimi, diligamus nos inuicē, quia charitas ex Deo est. Et omnis qui di igit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: Quoniam Deus Charitas est. In hoc apparuit charitas Dei, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus nos mutuō diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Ex hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus, & testamur, quod pater misit filium, seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij. Quod sicut ille est, & nos simus in mundo hoc. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eiecit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem ti-

met, non est perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.

FORMULA SALUTANDI.

Salus, Salve, Saluete. Iubeo te saluere, patrone singularis. Salve amantissime præceptor, Ornatissime uir. Saluete ornatissimi uiri.

PRECANDI.

Precamur ut dies tibi candidissimus illuxerit, amantissime præceptor, Ornatissime uir. Precamur tibi placidam noctem, amantissime præceptor, uir ornatissime. Precor ut hoc tibi studium oportunè cadat. Faxit Deus ut feliciter studeas.

ABEUNTI.

Comingat tibi feliciter redire ad proprios penates, amantissime præceptor, ornatissime uir.

REDEVNTI.

Nihil mihi opportunius accidere potuit tuo aduentu, præceptor amantissime, uir ornatissime.

QVÆSTIONES.

MONITORIA.

HERVS.

PVER.

HER. Fac ut luceat foculus, lucernam accende, induſium muta, caligas inuerſas adfer. Calceos exterge, & crepidas, uerre cœnaculi ſolum, inſuper pauimentum, pileum & pallium uerre. Suffitum aliquem facito, aëri purgando. Sub nocturnam horã fac adſis, deduces enim me eò, ubi ſum prãſurus. PV. Curabo, fiet. HE. In tempore fac adſis. PV. Aduentum accelerabo, ſub ſecundis menſas adfuturus. HE. Sub primũ ingreſſum fac ſalutes cõuiuias, in hunc modum: Sit felix conuiuium. Conuiuium ſit ſalutt. Bene ſit uniuerſo cœtui. Precor omnia læta uobis omnibus. Deus bene fortunet ueſtrum conuiuium. PV. Curabitur. Vãle interim, uir ornaſſime, Ecce uenio. HE. Oportunè ades, age meo nomine gratias hoſpiti Thaliarchæ, qui dignatus eſt nos excipere conuiuium. PV. Cœna tua, uir ornaſſime, multis modis elegantia acq; nobis uidetur. Quod excuſas, id unũ habet accuſandũ, nam magnificentior fuit, quam fat eſt, ſiquidem hoc conuiuium opiparum imprius, ac lautũ iudicãrim, quod primum ſimplicioribus epulis, deinde liberalitate, riſu, iocis ac ſalibus ſit conditum, quæ omnia noſtro conuiuium non defuerunt. HE. Bene habet puer, ſequere me intro PV. Fiet. Curabo, ſequor. HE. Cras ſub ſextam horã uic meridiana, pomeridiana, fac adſis.

sis. Nona enim hora inuisent me aliquot cōiue,
 sic igitur ut omnia niteant. Niteat mappa, nite-
 at stragula, qua mensa insternitur. Gutturnum
 elue. Aquā abluendis manibus adfer, Sellas ex or-
 dine colloca, singulis puluinaribus iniectis, Mē-
 sam para, iniice quadras, æreum, ligneum orbē,
 Salina impone, cochlearia. Singulis suū panē ad
 sinistrā quadræ partem colloca, relictis quatu-
 or panibus, ad quatuor angulos mensæ, atq; id-
 ipsum in medio mensæ, Aquā poculis eluēdis ad-
 fer, elue pocula, uitreos calices, argenteos, deau-
 ratos, stāneos cyathos, scyphos, calices gēmatos.
 Sed hora prædendi est, uoca igitur conuiuas, ue-
 rum non nisi præfatus honorē, in hunc modum,

Vigilantissime Pastor, Consul.

Splendidissime Senator.

Integerrime Prætor.

Facundissime Rhetor.

Perspicax Mathematicæ.

Grauis Theologe.

Prudentissime Iurisperite.

Vndecunq; doctissime Medice.

Linguarum peritissime.

Hebrææ lingue propugnator inuictissi-

Inclyte Poëta. (me.)

Acute Dialectice.

Generosissime uir.

Clarissime Gymnasiarcha.

Salue

Q V A E S T I O N E S

Iamdudum omnia sunt parata, insuper heru-
 te domi expectat, ubi igitur uoles accede. Proin-
 de conuiuas ingressos hilariter excipe, in hunc
 modum: Sit felix ac faustus uester ingressus, uiri
 ornatissimi PV. Curabitur. HE. Infer edulia, iur-
 sculum, carnes probè coctas, carnem uitulinam,
 bubulam, ouillam, suillam, ferinam. Infer tostam
 carnem, anferem tostum, turdos pulchrè tostos,
 castitas, perdices, leporem bene tostum, capum.
 Deniq; post singula edulia quadras unà cum pati-
 nis muta. Misce pocula, infunde uinum hornum,
 bimum, trimum, quadrimum, album, rubrum, dul-
 ce, austerum, mustum, mulsam, defrutum, Creti-
 cum, Corsicum, Falernum. Hinc bellaria appo-
 ne, tragmata, pemma. Postremum gratias
 age, primum Deo, deinde hospitibus. A gra-
 tiarum actione calicem bonæ fortunæ adfer, et
 in medium mensæ adpone. PV. Omnia rectè cura-
 buntur. HE. Sed heus, in hunc modum consecra
 mensam:

Quicquid adpositū est, & quicquid
 adponetur, felix ac sacrum esse iubeat,
 qui sua benignitate pascit uniuersa.
 Amen Kyrie eleeson, Christe eleeson,
 Kyrie eleeson. Pater noster &c.

A G E G R A T I A S D E O.

Gratias agimus tibi, pater cœlestis,
 qui tua ineffabili potentia condidisti
 omnia.

omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas, largire filijs tuis ut aliquando tecum bibant in regno tuo, nectar illud immortalitatis, quod promissisti ac præparasti uerè diligentibus te, Per Iesum Christum, Amen.

BENEDICTIO MENSÆ PER

Philippum Melanthonem.

His epulis donusq; tuis benedicito Christe,

Ut foueant iussu corpora fessa tuo.

Non alit in fragili panis modo corpore uitam,

Sermo tuus uitæ tempora longa facit.

GRATIARVM ACTIO,

per eundem.

Postquã epulis exempta fames, mensæq; remota,

Dicemus grates nos tibi summe pater.

Non hæc humanas uires alimenta iuuabunt,

Diuina si non hæc foueantur ope.

Namq; tuo uiuunt agitata à numine cuncta,

A dñatu spirant cuncta, ualemq; tuo.

Cumq; epulas dederis, rerū pater optime nobis,

Adde epulis uires pro bonitate tua.

Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,

Atq; immortalis pectora pasce cibo.

Et quia cura sumus tua, nos pater optime serua,

Et studia, & uitæ tempora cuncta rege.

QVAESTIONES
AGE GRATIAS HO-
spitibus.

Agite uiri undecunq; doctissimi, ut cenulam li-
cet tenuem, æ qui boniq; consulatis. Vestra enim
humanitas, quæ singularis est, huc me grauissimè
impulit, ut hæc Pythagorica cœna, aut etiam fru-
galior, excipere uos non erubuerim. Quid ige-
tur? Gratias agam pro hoc uestro aduenu, con-
spectuq; mihi non solum gratissimo, uerum etiam
iucundissimo.

Iam mihi si lingue centum sint, oraq; centum,
Non uobis grates egero ritè uiris.
Nostra quòd accubitus conuiuia uester honorus
Multis reddidit splendida modis.

AGE GRATIAS PRO AC-
cepto munere Bacchico.

Abs quibus homine beneficium accipere gau-
deas, uir ornatissimo, uerū à uiro, multis nomina-
bus celebratissimo, muneribus augeri, id demum
iuuat. Per se quidem munera sume ampla, et si ac-
cesserit augusta donantis maiestas, tum primum
amplissima redduntur. Itaq; gratias ago tibi, uir
omnium quos Sol uidet, liberalissime; si possem,
etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat re-
munerandi uicem, nec nostra suggerit restituendi
facultatē. Quod igitur solum nostræ opis est,
gratias ago, uerū ita ago, ut apud Deū hoc se-
ri

ri amem, sentiendo copiosius quàm loquendo.
Dixi.

AD PRANDIUM VOCAN-
di formula. Reim. Hadam.

Prandia si frugi non dedignere, sub horam

Cras facito Fac hodie	}	Octauam	} limina nostra petas.
		Nonam	
		Decimam	
		Vndecimam	

Nostra Syracusio non turgida fercula luxu,
Memoreoq; nihil uase nitabat Abax.

Solus amicitie cultus probioris, & hospes
Nemo Bioneo qui sale rodat erit.

Sit comes esuries tibi, sint Charitesq; futura
Condimenta leuis, delitieq; cibi.

Ad cœnam uocandi formula.

Si cœnam frugi non dedignere, sub horam

Fac hodie	}	Quartam	} limina nostra petas.
		Quintam	
		Sextam.	

Nostra Syracusio non turgida fercula etc.

FORMULA GRATIAS HO-
spitibus agendi.

Viris doctioribus:

Hospites, quorum celebratur orbe

Laudibus toto meritâ coruscum

Nomen,

Q V A E S T I O N E S

Nomen, & cunctis generosa uirtus
Claret in oris.

Gratias uobis ago sempiternas,
Atq; maiores habeo, referre
Quàm potest ullo nimis arcta iure
Nostra facultas.

Idq; pro summa bonitate uestra,
Turgido qui non tenues amicos
Corde, nec toruo data respuistis
Fercula fastu.

Maximo cunctis decori fuistis,
Atq; festiua recreastis omnes
Voce conuiuas, salibusq; letum
Symposiarcham.

Formula gratias agēdi mediocriter do-
ctis, aut studiosorum atq; uirtutis
amore conspicuis uiris.

Qui bonas amplo colitis fauore
Literas, quorum decus exolefcet
Hospites nunquam, sed honore iugi
Crescit in horas.

Gratias uobis ago sempiternas &c.

Specialis uina donandi
Formula.

Hæc tibi donantur Lenæi munera patris
O rutilans Clarij fama decusq; laris.
Explicita capias, & grata fronte, propinat
Que mæco integritas officiosa sinu.

Ista minor a tuo non inficiamur honore,
 Virtutum & meritis inferiora tuis.
 Dignus eras Hebe cui Mastica larga ministret,
 Fundat & auratis multa phalerna scyphis.
 Vel sic, ad uirum mediocris do-
 ctinæ, aut studiosorum
 fautorem.

Hæc tibi donatur Nyseo plena temeto
 Amphora, Picrij fautor amœne chori.
 Sume precor niueo munuscula Bacchicâ uultu,
 Et quo sum animo dona profecta cape.
 Te magis Setini ueteris gemmata decerent
 Pocula, & auratis Cecuba larga cadis.
 At tu donantis præcordia candida solum
 Excute, non humilis debile sortis opus.
 Quin tibi succurrat, $\xi\epsilon\upsilon\iota\ \omicron\upsilon\ \delta\iota\ \tau\epsilon\ \beta\upsilon\mu\omicron\varsigma\ \alpha\pi\iota\sigma\omicron\varsigma$.

Sic aspirabit gratior aura datis.
 Nouerat hoc ingens Eoæ Persidis Heros,
 Agresti capiens grata fluentia manu.
 Te modò desistam rudiore ambage morari,
 Da ueniam dictis, consule dona boni.

Generalis uina donandi
 formula.

Hæc mero plena Bromio relucens
 Vestra donatur grauitas lagena,
 Hospites cygnis, hederaq; multò
 Candidiores.

Charius porrò meruere donum

Q V A E S T I O N E S

Spectra uirtutis generosa uestrae,
Digna quae pingat Polycletus altis,

Ipse Colossis.

Vos sed excussa penitus datoris

Mente, non doni leuitate, grato

Munus hoc uultu capiatis, oro

Supplice uoto.

PRO ACCEPTO MVNERE BAC
chico, gratias agendi formula.

Accipimus leti sincero Bacchica uultu
Dona, quibus potuit gratius esse nihil.

Vt maiore sibi nequeant astringere, tanto

Officij studio pectora nostra tenent.

Nullus in hoc hilari tam rusticus ordine, qui non

Accipiat grato suauia corde mera.

Vt panes fottu recreant humana salubri

Pectora, sic melico uina sapore iuuant.

PRAECEPTA SELE
CTIORA, DE CIVILITATE MO
rum, Ex libello Erasmi desumpta, & in
certos locos digesta, Per Lu-
cam Losium.

Quibus partibus constet ratio in-
stituendi pueritiam.

MUNUS

M Vnus formandi pueritiam, multis cōstat partibus, quarum, sicuti prima, ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis semina: proxima, ut liberales disciplinas amet, & perdiscat: tertia est, ut ad vitæ officia instruat: quarta est, ut à primis statim rudimentis civilitati morū assuescat, de qua præcepta sequuntur.

Quos in primis deceat morum civilitas, & unde discatur.

Decet, ut homo totus sit compositus, Animo, Corpore, Gestibus, ac Vestitu, sed imprimis pueros decet omnis modestia, & in his præcipue eos, qui studijs liberalibus excolunt animum.

Civilitas morum ex animo bene composito elucet. Animus autem bene compositus, discitur ex Oculis, Supercilijs, Fronte, & breuiter, ipso vultu, totiusq; corporis habitu.

Oculi sint non torui, non uagi, ac uolubiles, non limi, nec immodicè diducti, non conniuibus subinde genis ac palpebris, nō stupentes, nec nimium acres, nō innuemes, ac loquaces: sed placidi, uerecundi, ac compositi.

Supercilia sint exporrecta, non adducta, nō sublata, non in oculos depressa. Fustus enim ac cilia, superbia sedes in illis habetur.

Frons sit hilari & explanata, non in rugas conerasta, non mobilis, non torua. Est enim frons laetus animi sermo.

Q V A E S T I O N E S

Nares. A naribus absit mucoris purulentia.
Stropholis excipere narium recrementa de
corum est, idq; paulisper auerso corpore, si qui
ad simi honoratiores.

Si quid in solum deiectum est, emuncto duobus
digitis naso, mox pede proterendum est.

Indecorum est subinde cum sonitu spirare na
ribus. Nam id bilis indicium est.

Turpe est ducere ronchos, quod est furiosus
rum, si modò id fiat usu.

Si alijs praesentibus incidat sternutatio, citi
le est corpus auertere.

Male. Malas tingat natiuus & ingenuus pudor,
non fucus aut ascitius color.

Bucca. Inflare buccas fastus indicium est, casdem
demittere, est animum despondentis.

Os. Os nec prematur, nec hiet, non porrigatur
sed leuiter osculamibus se mutuò labris, coniu
tum sit.

**Oscita
tio.** Si fors urgeat oscitatio, nec datur auerti de
cedere, strophio uoláue tegatur os, mox imagin
crucis ob signetur.

Risus. Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum
est, nullis arridere, stupidorum.

Obscenè dictis aut factis arridere, nequitia
est. Ideo si quid obscenè aut fit, aut dicitur, homo
stus puer non arridebit, sed uultū componet, quia
si non intelligat, aut factum turpe non uideat.

Sic uultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehoneſtet, nec animum diſſolutum arguat.

Si res adeò incidat ridicula, ut riſus teneri nequeat, mappa, manu tegenda facies eſt.

solum, aut nullam euidentem ob cauſam ride- re, uel ſtultitia tribuitur, uel inſania.

Labrorum oras lingua circumuoluta ſubim- delambere, ineptum eſt.

Auerſus expuito, ne quæ conſpuas, aſpergâs. *Spuere.*

ne. Si quid purulentiùs in terram reiectum erit, pede, ut dictum eſt, proteratur, ne cui nauſeam moueat: id ſi non licet, linteolo ſputum excipito.

Reſorbere ſaliuam, inurbanum eſt, itemq; non ex neceſſitate, ſed ex uſu, ad tertiu quodq; uerbum expuere, cructare, ſubtuſſire, aut ſcrea- tu proſtrepere.

Si tuſſis urgeat, caue ne cui in os tuſſias, et abſit ineptia clariùs tuſſiendi, quàm natura po- ſtalet. Vomiturus ſecede.

Dentium mundities curanda eſt, ſale aut *Dentes.* alumine deſtricare, gingiue pernicioſum.

Si quid inhaſit demibus, non cultello, non un- guibus, non mantili eximendum eſt, ſed uel lentio ſci cuſpide, uel penna, uel oſticulis è gallorù aut gallinarum tibijs detractis. Os manè pura aqua proluere, et urbanum eſt, et ſalubre.

Ruſticanum eſt impexo eſſe capite, adſit mun *Caput.*

Q V A E S T I O N E S

dicies, non nitor puellaris: absint sordes lendium
& uermiculorum.

Subinde scabere caput apud alios, parum de-
cet, aut unguibus fricare reliquam corpus, si fiat
usu, non necessitate.

Coma nec frontē tegat, nec humeris inuoluet.
Inflexere ceruicem, & adducere scapulas,
pigritiam arguit: resupinare corpus, fastus indi-
cium est, molliter erectum decet.

Ceruix. Ceruix nec in laeuum nec dextrum uergit,
nisi colloquium aut aliud simile postulet.

Humeri. Homeros oportet a quo libramine temper-
rare. Huiusmodi gestus in pueris neglecti uertū-
tur in naturam, & corporis habuum, prae ter na-
turam, deformant.

Brachia Vtrunq; Brachium in tergum detorquere,
simul & pigritiae speciem habet, & furis.

De Membris, quibus natura pu-
dorem addidit, tegendis.

Membra, quibus natura pudorem addidit, re-
tegere citra necessitatem, procul abesse debet ab
indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, ta-
men id quoq; decente uerecundia faciendum est,
etiamsi nemo testis adsit. Nunquam enim nō ada-
sum Angli, quibus in pueris gratissimus est, pudor
dicitur comes custosq; pudor.

De lotio reddendo.

Lotium remorari ualitudini perniciosum, se-
cretū

velò reddere uerecundum.

De gestu pedum.

Diductis gembus sedere, aut diuaticatis tibi-
is, distortisue stare, Thrasonum est.

Sedeni coëant genua, stami pedes, aut certè
modicè diducantur.

De incessu.

Incessus nec fractus sit, nec præceps, nec ua-
cillans.

Sedentem pedibus ludere, stultorum est, què-
admodum & manibus gesticulari, parum in teo
græ mentis indicium est.

De cultu.

Vestitus honestus esse debet, eò quòd uestis
quodammodo corporis corpus est, & ex hac quo
que licet habitum animi conijcere.

Vestitui adsit mundicies, nec sordibus notabi-
lis: nec luxum, aut lasciuiam, aut fastum, præ se
ferens.

Dissecare uestem amentium est, picturatis ac
uersicoloribus uirgionum est, ac sinuarum.

Neglectior cultus decet adolescentes, sed cito
tra immundiciem.

Indecorum est tunicarum oras aspergine lo-
tij pingere, aut sinum, brachialiaq; narium & o-
ris pituita incrustare.

Indecorum est uestem in alterum latus, aut in
tergum, ad renes usq; defluere.

Q V A E S T I O N E S

Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne te ipsum reflexis oculis contemplare, nec gaudio gestas, alijsq; ostenta. Quò maior est fortuna, hoc est amabilior modestia.

De moribus in templo.

Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Ad Altare uersa sit facies, ad Christum animus.

Ad concionantem spectent oculi, huc attentae sint aures, huc inhiat animus, omnium reuerentia, quasi non hominem audias, sed Deum, per os hominis tibi loquentem.

Cum recitatur Euangelium, assurge, & si potes, auscultes religiose, idq; nudato capite.

Ad nomen Seruatoris nostri, decet flectere genua, & aperire caput.

Cum flectenda sint genua, utrumq; decet demittere, non altero alteram contingere, erecto altero, cui laeuus innitatur cubitus.

In Templo nugae obgannire ad aurem vicini, & uagos huc illuc circumferre oculos, de decet.

De Conuiujs.

In conuiujs adsit hilaritas, absit petulantia. Non nisi lotus accumbe, sed ante praefectis uigibus, ne quid in his hereat sordium.

Abstergens manus, simul abijce, quicquid animo aegrè est.

Iussus consecrare mensam, uultum ac manus ad

ad religionem composito, spectans conuiuij primarium.

Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excusa, si tamen crebro serioq; iubeat aliquis autoritate praeditus, uerecundè obtempera, ne uideare, prociuii, praefractus.

Accumbens utranq; manum super mensam habe, non conuinctim, nec in quadra.

Cubito uel utroq; uel altero inniti mense, in decorum est.

Cauendum ne proximè accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti pedibus sis molestus.

In sella uacillare, & nunc huic, nunc alteri nauicissim insidere, parum uerecundum est. Corpus igitur aequo libramine decet esse erectum.

Mamile, si datur, aut humero sinistro, aut brachio leuo imposito.

Cum honoratioribus accubiturus, capite pectore, pileum relinquito, nisi alicuius autoritas diuersum praecipiat.

Ad mensam puer non nisi iussus accedat, nec hereat usq; ad conuiuij finem. Sed sumpto, quod satis est, sublata quadra sua, discet dat, flexo poplite, salutans conuiuas, precipuè qui inter eos est ceteris honoratior.

A dextris sit poculum & cultellus escarius, item purgatus, ad leuam panis.

QVAESTIONES

Panem cultello secā decēter, non undiq; reuel-
lens crustum, aut utrinq; refecans.

Conuiuium statim à poculis aspiciari, mori-
bus inhonestū est, & corporis ualētudini officit.

Puerosēpius quām bis, aut ad summum, rē
in conuiuiō bibere, nec decorum est, nec salubre.

Caueat imprimis puer, ne potu ingurgitetur,
aut e quorum sonitu bibat.

Puer tenui ceruisia utitor, aut uino non at-
tēdi, sed aqua diluto.

Antequam bibas, prae mande cibum, nec labra
admoueas poculo, nisi prius manili aut linco-
lo absterferis.

Inter bibendum intortis oculis olios intueri,
aut ceruicem in tergum reflectere, illiberale est.

Inuitatus ad bibendum, ad motis labris cyathos
paululum bibe, aut, si non sitias, te bibere simula.

Primus cibum appositum ne attingito, ne uel
auidus arguaris, uel, si feruidum in exploratum
in os receperis, aut expuere cogaris, aut si de glū-
tieris, gulam aduras.

Si cum maioribus accumbit puer, postremus,
nec id, nisi inuitatus, manum admoueat patinae.

Digitos in iussulēta immergere, a gestum est,
sed cultello fuscinae tollit puer quod uult, nec
id ex toto eligat disco, sed quod fortè ante ipsum
iacet, sumat, uel, si fuerit insigniter elegans, de-
teri cedat.

Inuertere

Inuertere patinam, quò ueniant ad te lautiora, parum decorum est.

Si quis alius cibum tibi porrexerit elegantiorum, mode, è recuses, si is insiterit, recipe, & refecta tibi portiancula, reliquum redde ei, qui porrexit, aut proximè a sidentem communica.

Quo porrigitur, aut tribus digitis, aut porrefecta quadra excipiendum.

Digtos unctos uel ore praelingere, uel ad tunica extergere, itemq; integros bolos subito deglutire, pariter inciuile est.

Si quid offertur quod non conuenit tuo stomacho, caue dixeris: non possum, sed blandè agito gratias: uel si perstat inuitator, uerecundè dicit, aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Omni ex parte, quicquid palato blanditur, abradere, abs te semesa alteri porrigere, panem prerosum iterum in ius immergere, cibum manus è faucibus eximere, parum honesti moris est.

Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, sed in quadrae angulum se pone.

Oui putamen, non digitorum unguibus aut pollice, aut inserta lingua, sed cultello purgare, magis decorum est.

Ossa dentibus arrodere, caninum est, cultello purgare ciuile. Cultello sumendum est salis quantum satis est: si longius abest salinum, porrecta

Q V A E S T I O N E S

quadra petendum est.

Quadrā aut patinam lingua lambere, filium est, non hominum.

Carnem minutim in quadra dissectam, et ad-
dito pane, probè mansam, in stomachum deinde
traijce. Id non solum ad bonos mores, uerum etiam
ad bonam ualitudinem pertinet.

Neq; tantum in os ingeras, ut utrinq; ceu fol-
les tumeant buccæ, neq; mandendo diductu labi-
orum sonitum edas, neq; uorandi studio, naribus
spires, quasi profocandus.

Ore pleno uel bibere, uel loqui, inhonestum
est.

Citra intermissionem edere aut bibere, de-
cet.

Gestus in conuiujs moderandi sunt.

Inciuile est, cogitandum in mensa accum-
bere.

Inurbanum est, oculis circumactis obseruare,
quid quisq; comedat.

Effutire, si quid liberius inter pocula dictum
factumue sit, nulli decorum, ne dum puero.

Puer cum natu maioribus accumbens, nun-
quam loquatur, nisi cogat necessitas, aut abs que-
piam inuitetur.

Lepidè dictis modicè arrideat, obscenè dictis
ne quando arrideat. Sed ita uultus habitum tem-
peret, ut aut non audisse, aut certè non intelle-
xisse

xiffe uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

Non respondeat puer, priusquam orationem finierit, qui cōpellat, ne aliena respondens sit alicui. Stultitiæ tribuetur respondere priusquam audias, non audit autem qui non intellexit.

Si parum intellexeris, percunctamem, puer blandè præfatus ueniam, oret, ut denuò dicatur. Inellesta percunctatione, paululum interponat moræ, deinde tum paucis respōdeat, tū iucundè.

Absentium famam noli ledere. Ne uituperes, quod appositum est. Si quid sit rusticius per imperitiam, ciuilitèr dissimula. Quod in conuiuio fit, dicitur ue, uino inscribendum est.

Si conuiuium erit prolixius, aut ad luxum tendere uidetur, aut clam, aut ueniam præfatus, te subducito.

Pueros, cœnis in multam noctem productis, perpetuò asidere, perniciosum est.

Si quid apponis aut submoues, uide ne cui uenire perfundas.

Candelam emuncturus, caue ne illam extinguas, quodq; emunctū est, protinus aut arenæ immergit, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundisuc, leuè id facias caue.

De Congressibus.

Si quis occurrerit in uia, uel senio uenerandus,

Q V A E S T I O N E S

aus, uel religione reuerendus, uel dignitate grauis, uel alio qui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, non nihil etiam flexis poplitibus.

Parentibus, secundum Deum, primus debetur honos, nec minor praceptoribus, qui mentes hominum quodammodo formant, generant. Aequales inuicem sese honore praueant.

Cum maioribus reuerenter loquendum, & paucis, cum aequalibus amanter & comiter.

Inter loquendum pileum laeua teneat, dextra leuiter admota umbilico, aut quod decenius habetur, pileum utraq; manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum.

Inter loquendum pudor adsit, sed qui decet, non qui reddat attonitum.

Oculi spectent eum, cui loqueris, sed placidi simplicesq; nihil procax improbum praeseferentes. Oculos in terram deijcere, mala conscientiae suspicionem habet. Vultum huc illuc uoluere, leuitatis argumentum est. Gestibus ac nutibus loqui, puerum minus decet.

Vox sit mollis ac sedata, non clamorosa, nec nimis pressa. Sermo sit non praecipuus, & mentem praecurrens, sed lenius & explanatus.

Inter colloquendum subinde titulum honoris eius, quem appellas repetere, ciuilitatis est.

Ex ore pueri turpiter auditur iniurandum, siue

sive iocus sit, sive res seria.

Obscenis dictis nec linguam prebeat ingenium puer, nec aures accommodet. Quicquid in honestè nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus.

Puer ingenuus cum nemine contentionem suscipiat, nec cum equalibus quidem, sed cedat potius uictoriam, si res ad iurgium ueniat, aut ad arbitrum prouocet.

Ne cui se præferat, ne sua iactet, ne quid arcani creditum euulget, ne nouos spargat rumores, ne cuius obtrechet famæ, ne cui probro detritium nature insitum.

Interpellare loquentem, antequam fabulam absoluerit, inurbanum est.

Cum nemine similitatem suscipiat, comitem se exhibeat omnibus, per paucos ad interiorem amicitiam recipiat, eosq; cum delectu. Ne cui credat quod tacitum uelit.

Alienarum rerum ne fueris curiosus. Literas tibi non oblatas, limis intueri parum ciuile est.

Si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temetipsum ingeras non accitus.

De Lusu.

In lusiis adsit atacritas, absit peruicacia rixarum pares, absit dolus ac mendacium. Arbitris ne re elanata. Animi causa ludendum est, non lucri gratia.

QVÆSTIONES

Puerorum in dolens nusquam magis, quam in
lusu apparet. Pulchrius uincit, qui cedit conten-
tioni, quam qui palmam obtinet.

Puer ingenuus non minus in ludo, quam in co-
uiuio sui similis sit.

De Cubiculo.

Siue cum exuis te, siue cum surgis, memor ue-
recundia, caue ne quid nudes aliorum oculis, quod
mos & natura tectum esse uoluit. Clamor &
garrulitas in lecto indecora est, commoditas silen-
tium & uerecundia.

Si cum sodali lectum communem habes, quie-
tus iaceto, neque corporis iactatione, uel teipsum
nudes, uel sodali, detractis palliis, sis molestus.

Priusquam reclines corpus in cervicalis, frontem
& pectus signa crucis imagine, breui precati-
uicula te met Christo commendans. Idem facies,
quum manem primum te met erigis, a precatiuncu-
la diem auspicans.

Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi
si prius lota facie, manibusque, & ore prolato.

Præceptiuncularum co- lophon.

Maxima ciuitatis pars est, quum ipse non
quam delinquas, aliorum delictis facile ignosce-
re, nec ideo sodalem minus charum habere, si quos
habet mores inconditiores. Sum enim qui mor-
um ruditatem alijs compensent dotibus.

Quod

Quòd si sodalis, per inſcitiam, peccet in eâ
quod alicuius uidetur momenti, ſolum ac blandè
manere, ciuilitatis eſt.

ELEGANTES ALIQVOT de eruditione Quaestiones.

Quænam eſt rerum omnium opti-
ma poſſeſſio?

Eruditio, Vnde Ariſtippus eiectus nauſrago,
renunciauit Athenienſibus, ac mandauit, ut eæ
poſſeſſiones, ac uiatica, liberis ſuis pararent, que
etiam unâ cum nauſrago poſſent enatare. Qui-
bus nulla fortuna tempeſtas, nulla rerum publica
rum mutatio, nulle deniq; uel urbium, aut regio-
rum uariationes nocere poſſent.

Quoſnam pueros ad glorioſam erudi-
tionis frugem peruenturos diui-
nant Auctores clariſſimi?

Eos quos mordet obiurgatio, Quos laus exci-
tat, Qui paulò rigidius admoniti non rirunt,
Quos gloria iuuat, Qui flēt ſtudio uicti, Qui de-
niq; nullum diem ſine fructu ſinum effluere. Sic
Fabius teſtatur: Sunt quidam, niſi inſtiteris, re-
miſi, quidam imperia dedignantur, quosdam cō-
tinet metus, quosdam debilitat: Alios continuatio
excūdit, in alijs plus impetus facit. Mihi ille detur
puer, quē laus excitet, quem gloria iuuat, qui ui-
ſus ſicut. Hic erit alēdus ambitu, hunc mordebit
obiurgatio,

Q V A E S T I O N E S

obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidia
nunquam uerebor.

Quinam stiuæ ducendisq; fossis aptio
res sunt, quàm bonis literis?

Quorum ingenia sunt hebetiora plumbo, Qui
ueternosi grauatim trahunt indigestam corporis
molem, Quorum a gestior natura, bonis disci-
plinis abhorret, Qui præceptoribus honesta
monitionibus non obtemperant, sed oppedere præ-
sumunt, Quorum animi, prælegentis Magistro, so-
lent peregrinari, & non tam in studio, quàm in
patitis esse, Qui nunquam cogitant, cur à paren-
tibus in scholam missi, Qui ad bibendam ceruissi-
am atq; uina sunt ualde fortes, ad scribendum præ-
gri, ad studendum tardi, ad diu stertendum ac-
comodi, Quorum demq; frequentior circa
forum, circa sepes, item & hortos deambulatio,
quàm domi literarum meditatio.

Quomodo puer in eruditum ui-
rum euadere poterit?

Tribus potissimum modis: Arte, Imitatione,
& Exercitatione.

Quid per Artem intelligis?
Præceptionem, quæ dat certam uiam ac ratio-
nem perueniendi ad bonas disciplinas omnes.

Cur Grammaticæ præceptiones
pueris sunt diligenter
ediscendæ?

Quoniam ijs neglectis ad intellectum disciplinarum altiorum peruenire non poterunt: Et in ijs si fundamentum non bene iecerint, quicquid superstruxerint, corruet.

Quid est Imitatio?

Est qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in bonis disciplinis uelimus esse.

Quos in dicendi genere puer imitabitur?

Optimos & eloquentissimos. In quorum numero fuit Cicero. Huc igitur spectet, hoc propositum sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero ualde placebit.

Quid est Exercitatio?

Est assiduus usus & consuetudo discendi, scribendi, atq; dicendi. Cicero scribit nullam artem sine literis, sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse: Et stylum optimum esse, et praestantissimum dicendi effectorem, atq; magistrum.

Quid potest exercitatio?

Omnia, Vnde prouerbum: μελέτη πάντα δύναται. Et: θεοί τὰ γὰρ ἀ τοῖς πόνοις πωλοῦνται. Hoc est, Exercitatio potest omnia, & Difficilia laboribus uendunt. Nihil enim tam arduum est, quod diligentia curaq; non efficiatur. Nihil tam difficile, quod non humana mens uincat, &

Q V A E S T I O N E S

in familiaritatem perducatur assidua meditatio. Nulli sum tam feri, suiq; iuris affectus, ut non disciplina perdomemur. Quodcumq; imperantur animus obtinuit. Quidam nunquam ridere consuevi sum, Vno quidam, quidam omni humore interdixere corporibus, Alius concensus breui somno uigiliam inde fatigabilem extēdit. Didicerunt tenuissimis, & aduersis funibus currere, & ingentia, uixq; humanis toleranda uiribus, onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi uice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditq; nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indixerit, ut ait Seneca.

Profer aliquot exercitationis diligentia uiros celebratos.

Incredibili studio, simul ac exercitatione celebratus DEMOSTHENES, qui duos aut tres saepe menses continuos domi inclusus, ingentem uigilanter exercuit, abrasa parte capitis, ut exeundi facultatem sibi ipsi praeiperet. Et cum in iuuentute artis, quam adfectabat, primam litteram dicere non posset, oris sui uitium tanto studio expugnauit, ut ea à nullo expressus referretur. Vadosis etiam littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus oblectantibus e debat, ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus, in actionibus uteretur.

C A T O

CATO sextum & octogesium annum a-
gens, maximam Græcis literis operam impendit.
Et mirifica proles eius Cato, ita doctrinæ cupidi-
tate flagrauit, ut ne in curia quidem, dum Sena-
tus cogeretur, sibi temperaret, quò minus Græ-
cos libros lectitaret.

CARNEADES ita se literarum studijs
addixerat, ut quum cibi capiendi causa recubu-
isset, cogitationibus inherens manum ad mensam
porrigere obliuisceretur. Sed eum Melissa, quæ
uxoris loco habebat, temperato inter studia an-
imo non interpellandi, sicut inedia succurrendi
officio, dexteram suam necessarijs officijs apta-
bat.

DEMOCRITVS luminibus oculorū sua
pone se priuauit, arbitratus cogitationes, com-
mentationesq; animi sui in contempladis naturæ
rationibus uegetiores & exactiores fore, si eas ut
dendi illecebris, & oculorum impedimentis libe-
rasset. Et quò magis uacuo animo studijs litera-
rum esset operatus, parua admodum summa re-
tenta, patrimonium suum amplissimum patriæ do-
nauit. Athenis autem compluribus annis mora-
tus, omnia temporum momenta ad percipiendā,
& exercendam doctrinam conferens, ignotus il-
li urbi uixit, non (ut nostro tempore discipuli so-
lent) per omnia platearū loca perreptando, qui-
buslibet lippis etiam ac tonsoribus innotuit.

QVAESTIONES

ARISTOTELES Lucubrationibus nocturnis aenea pila fuit usus, cui altera manu compressa labrum subieciat, ut si longa uigilia defatigatus obdormisset, strepitu pile cadentis exprogeretur.

LEGVM SCHOLASTICARVM COMMVNIVM

Decalogus.

I.

Studiorum humanitatis causa in Scholam uenientes, ab Archipadago primum examinantur, & in discipulorum Catalogum, conuenientemq; nouitijs locum referuntur.

II.

Præceptoribus, animorum uidelicet parentibus, sine recusatione paremo, nunquam obstrepunt, sed quod discipulos honestiores decet, officium faciunt, semper memores, cur à patribus in Scholam missi.

III.

Ad destinatas prælectionibus horas in Pedagogo statim adsunt: petulantiam omnem exuunt. Neminem interturbant, sed inibi diligenter auscultant: & quæ præleguntur, uel dictantur, non oscitantur excipiumo.

IIII.

Epistolarum, Argumentorum, Thematicum, de dicta.

diffusorū libellos integros habento. Arma scho-
lastica domi non relinquunt. Nec aliena suble-
gant. Neq; propria permutant, sed eadem ac-
curatè custodiunt.

V.

Sermone Latino semper extra uel intra Pæ-
dagogium utuntur: nescientes, linguam coërcen-
to, aut impetrata uenia, parum loquuntur.

VI.

Pædagogicos Decarchos (singulas enim in
Decadas singule distinctæ sunt classes) obseruan-
to, ac ijsdem, quos Autorum prælectorum locos,
aut Latinitatis obseruationes memoria compre-
hendendas iniunxerint, præscriptis horis recitã-
to, ac pensum absoluunt.

VII.

Inter repetendum interrogatis à Præcepto-
re commilitonibus adfidentibus nihil insurrã-
to, aut clanculum suggerunt, sed ut ipsi respon-
deant permittunt.

VIII.

In Templo ciuilitatis ac pietatis memores,
nullam prorsus petulantiam exercunt. In plateis
item ac locis publicis nullum immodestæ speci-
men exhibent: Sed honesta sequuntur, & occur-
rentibus uiris grauibus honorem deferunt.

IX.

Ex urbe sine copia nunquã exeunt. Pædago-

QVAESTIONES

gias item nullo tempore prælectiones, sine dimissoria charta negligimus, uel emanamus. Dum autem iustâ propter causam uel in paternis ecclibus, uel hospitij, præcipuam studij curam habent. Deinde libenter officijs et obsequijs, quæ beneuolentiam affatim conciliant, funguntur.

X.

Aestate natationes, Hyeme glaciem nõ aliter atq; pestem uitamo. Contrâ facientes, largiter uapulatio, uel excluduntur.

PRO SUPERIORIBVS
PRIMAE CLASSIS, ORATIONES
ex M. Iunij, & T. Manlij, quæ apud T.

Liuium habentur, concioni
bus effigiatae.

ARGUMENTVM.

Hostis acerrima Barbaries cõtra pædagogicos discipulos acriter pugnâs, ignauos multos in conflictu Grammaticali oppressos cepit, & quos in ipsius pædagogij finibus occupat, in carceres & uincula cõpegit. Hac igitur Oratione captiui per Antesignanos ab Academicis proceribus examinû publicorû præsidibus se petunt eripi, & donatos libertate in castra Academica trãsferri.

PAEDA.

PAEDAGOGIO MANCIPATO-

rū, ad Academicos Proceres Oratio.

Nemo uestrum ignorat, Academici proce-
res, nulli unquam Academia uiliores fu-
isse captiuos Paedagogicos, quàm nostra. Cete-
rum nisi plus iusto nobis nostra placet causa, non
alij minus negligendi uobis, quàm nos, in hostis
Barbarici potestatem uenerunt, Nō enim in acie
arma tradidimus, sed cū iamdiu superstames
Barbaricorum cadauerum extraxissemus præli-
um, fessiq; laboribus multis, ac sudorib. assiduis,
uallum paedagogicum essemus tutati, circumfessi,
& oppressi, ab exercitu uictore capti sumus.
Porro cū sapientissimorum omnium sententia,
quod inter duo pericula minus incommodaturū
sit, eligendum existat, longè satius putabamus,
nos dedere, & impedimenta relinquere, quàm
nos ipsos milites fortissimos, succumbere. Nemo
tot impressiōes Barbaricas, tot insultus hostileis,
tot deniq; pericula diutius ferre potuisset, &
insania fuisset argumentum, in tali rerum statu
τοπος κεν τῶν λακτικῶν, uel (ut aiunt) contra
torrensem niti. Quippe nisi manus, ac belli uim
abstinuissemus, & receptui prudenter cecissemus,
iam ne quidem igniferum (ut aiunt) reliquū
haberetis. Quare cū unica nocebitas, aduersus
quā ne dii quidē resistunt, nos miseros impulerit

Q V A E S T I O N E S

ad hanc turpissimam seruitutis conditionem uenire, nos genibus uestris aduoluti, suppliciter rogamus, ut nos è captiuitate pædagogica liberetis. Romanos olim à Gallis auro redemptos legimus, & ueteres ad pacis conditionem asperrimos, & redimendorum captiuorū gratia Tarentum legatos misisse, sed ut nos (in quibus non minor, quàm in illis fortitudo) redimatis, opus auro non habebitis, nec expeditione longinqua. Etenim satis efficax uoluntas uestra, qui uel solo nutu uoti nos compotes facere poteritis, quorum auctoritas tanta, ut uniuersus ordo Barbaricus & ἑλῶν ἡγεῖται, imperata uestra facere cogatur. Sum profectò de nostris multi, qui non solum castris uestris magno usui, sed etiam præsidio possunt esse, longè maiori, quàm quos iam dudū exteros suscepistis. Quippe nullius cõmilitonis fortuna, aut conditioni inuidemus, nec premendo alios, nos extulisse uelimus uideri, sed illis & bonis, & fortibus militibus utemini, & nobis multò promptioribus, quòd beneficio redempti, atq; in libertatem restituti fuerimus. Ex omni atate & fortuna militum nostrorum habebitis delectum, quod si cum exteris istis contulerimus, inuiriam Academico nomini faciemus, quòd nostri in regno propè uestro nati, certè educati, illi aut unde prospexerint, in dubio est. Illud etiã in tali consilio uobis animaduertendum censemus.

mus, si tam duriores esse uelitis (quod nullo no-
stro merito faciatis) quali nos hosti relicturi sitis,
nempe tali, quo nihil auarius, nihil horridius, ni-
hil deniq; crudelius in rerum natura poterit es-
se. Ad summam calamitatem nostram accedit fa-
me periculum. Malè enim apud omnes audituri,
et omnibus ludibrio futuri sumus, si à uobis dāna
ti ac repulsi fuerimus. Quò nos uertemus miseri,
tot undiq; malorum procellis iactati? quorum si
uideatis catenas, squalorem, deformitate mōq; nō
minus profectò uos ea species moueat, quàm Ro-
manos olim stratæ Cannensibus campis Legio-
nes miserabiles. Quòd si nobis apud uos nullum
misericordiæ perfugium, saltem precamur intue-
ri uelitis sollicitudinem, & lachrymas in uestibu-
lo d'incasylis stantium commilitonum, & ami-
corum nostrorum, expectantium responsum ue-
strum, qui pro nobis ita suspensi ac solliciti sunt,
ut eorum ipsorum uitam, ac libertatem in discri-
men putetis adducta. Sed iam satis multa. Quid
restat? nisi ut uos oremus, obtestemurq; Proce-
res, ut eam misericordiam imploranibus tribua-
tis, quam ultrò non efflagitantibus fortissimis mili-
tibus, tribuere debeatis. Dixi.

AD CAPTIVORVM ORATIO

nem Responso facultatis artium

Decani.

Sit animummodò postulassent Antesignani pro

Q V A E S T I O N E S

ijs qui in hostium potestate sunt, ut redimerentur
 sine ullius insectatione, eorum breui sententiam
 peregrissem, Nunc autem cum propè gloriosi
 sint, quòd se hostibus dediderint, ac cenauerint
 equum ijs se præferri, qui ad Academiam nostram
 longè peritiores, et fortiores peruenerunt, nihil
 uos eorum, Academici proceres, quæ illic ad
 sunt, ignorare patiar. Atq; utinã hæc, quæ apud
 uos acturus sum, apud uniuersum exercitum age
 rem, optimum testem ignauie cuiusq; et uirtutis.
 Vos complures uestris in castris habetis, quos si
 isti secuti fuissent, iam non captiui, in hostium po
 testate essent, qui per se non conati sum erumpere,
 neq; alios sequi uoluerunt. Et tempore iam
 ego non destitit Archipædagogus admonere, ad
 hortariq; eos, dum quies, et silentiũ, et opportu
 nior euadendi facultas esset, per cõsertos hostes
 erumperent, non magno negotio peruenire in tu
 ta loca, in sociorum urbes posse. Sicut olim P. De
 cius Tribunus militum in Samnio, Et primo Pu
 nico bello Calphurnius Flãma cum trecentis uo
 lumarijs fecere. Sed inertissimi Ducem, qui uir
 am non ad gloriam magis, quàm ad salutem fer
 rentem demonstrauit, non audiuitis. Quare ut
 animus uobis quo seruaremini defuit, ita modò
 quæ liberemini gratia deesse debet. Si complu
 ria fortissimorum in commilitonum exempla uirtu
 tis uos non mouerunt, nihil unquam mouebit.

Quis

Quid si pro Academia moriendum esset, facere-
 nis dimittunt capite, ab alienati iure commilitonū,
 serui turbarum barbaric arū facili? Beneficio redi-
 turi estis eō, unde ignauia & nequitia abistis?
 Admonitores optimos uestros non audiistis, ar-
 ma capere, ac se iubentes sequi: Barbariem pau-
 lo post audistis, castra prodi, & arma tradi ius-
 sorem. Sed quam ego ignauiam istorum accu-
 so, cum scelus possim accusare? Non enim modo
 sequi recusarum bene monentes, sed obistere, at
 que aduersari. Hos milites Academia desideret,
 quorum si ceteri similes essent, turpissimam igna-
 uissimorum nebulonum senenam haberetis. Ma-
 luerunt in tentorijs latentes, foedissimum ignauiae
 suae specimen præbere, quam erumpendi ansam
 fortiter arripere. Gregia bellorum militia, quū
 in acie stare, ac pugnare decuerat, tum in castra
 refugerunt: quum pro uallo pugnandum erat, ca-
 strā tradiderunt, neq; in acie, neq; in castris uti-
 les. Vos liberem: cum erumpere castris oportet,
 cunctamini, ac manetis: cum manere et castra
 tutari armis necesse est, et castra & arma, et uos
 ipsos tradidistis hosti: Ego non magis istos libe-
 randos, Academici proceres, cenſeo, quam eos
 dedendos hosti, qui se per multa discrimina in li-
 bertatem asseruerunt, ac per summam uirtutem
 in castra uestra perueniunt.

Dixi.

HISTO-

QVAESTIONES
HISTORIA PRI-

n. e. Classis.

Vitam beatam, in regno prepotente, ac summo principatu, ut multis & periculis obnoxio collocatam non esse, Rex ille subtilis iudicium planum fecit, quem ferunt traditum sibi diademam, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: O nobilem magis, quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscatur, quam multis sollicitudinibus, & periculis, et miseris sit refertus, ne humi iacentem tollere uellet. Idem in Tusculanis questionibus pulcherrimo Dionysii Syracusanorum Tyranni exemplo Tullius approbavit, inquit: Dionysius Tyrannus ipse indicavit quam esset beatus. Nam cum quidam ex assensatoribus, Democles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominatum, rerum abundantiam, magnificentiam regiarum edium, negotiorumque unquam beatiorum quinquam fuisse. Visne igitur, inquit Dionysius, o Democle, quoniam haec te uita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Quum ille se cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornauit argento aureoque calato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius interuenis diligenter ministrare. Adcranum uiguentis coronae

coronæ, incendebantur odores, mensæ conqui-
tissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi De-
moacles uidebatur. In hoc medio apparatu fulgen-
tem gladiū è lacunari seta equina appensum de-
mitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus,
Itaq; nec pulchros illos administratores aspicie-
bat, nec plenum artis argentum, nec manum por-
rigebat in mensam, iam ipsæ defluebant coronæ.
Deniq; exorauit Tyrannum, ut abire liceret, q̄
iam beatus nollet esse. Satis uidetur ne declaras-
se Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper ali-
quis terror impendat. Dixi.

HISTORIA PRO SE- cunda Classe.

Peregrinus Philosophus, uirum sapientem
non peccaturum esse dicebat, etiã si peccas-
set eum Dij atq; homines ignoraturi forent. Non
enim pœnæ aut infamiae metu non esse peccandū,
sed iusti honestiq; studio & officio. Magnifica
certè & digna Philosopho sententia, quæ si non
solum in literis extaret, sed etiam in animis ho-
minū fixa esset, maxima profectò malorū parte
leuaremur. Porro nobis, qui Christiani sumus,
sensibus imis est illa reponēda, quibus ante omnia
persuasum esse debet, si oēs Deos hominesq; cela-
re possimus, nihil tamen auarè, nihil libidinosè,
nihil incontinenter esse faciendum. Hinc ille Gy-
ges

QVÆSTIONES

ges inducitur à Platone, qui cum terra disces-
 set magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum
 descendit, æneumq; equum (ut narrant fabulæ)
 animaduertit, cuius in lateribus fores essent, cui-
 bus apertis, hominis mortui uidit corpus, magni-
 tudine inusitata, annulumq; aureum in digito
 quem ut detraxit, ipse induit, erat autem Regni
 pastor, tum in concilium se recepit, ibi cum pal-
 lam eius ad palmam conuerterat, à nullo uide-
 batur, ipse autem omnia uidebat. Idem rursus ui-
 debatur, cum annulum in locum suum conuer-
 rat. Itaq; hac opportunitate usus annuli, Regi
 ne stuprum intulit, eaq; adiutrice Regem domi-
 num interemit, sustulitq; eos quos obitare arbi-
 trabatur, nec in his quisquam eum facinoribus
 potuit uidere. Sic repente annuli beneficio Rex
 ortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si
 habeat sapiens, nil plus sibi licere putet pecca-
 re, quam si non haberet. Honestæ enim sola boni
 uiri querunt, nec occultandi spe, uel impunitate,
 uel ignoratione proposita, peccatis, ut fraudes,
 dolo, & iniurijs abstinem, sed solo uirtutis stu-
 dio & officio. Vnde rectissime Flaccus ait: Ode-
 runt peccare boni uirtutis amore. Contrà malis
 solius formidme ac metu pœnæ. Dixi.

TERTIÆ CLASSIS

historia,

philosofia

Philosophus Taurus, uir disciplina Platonica celebratus, cum alijs bonis multis salubribusq; exemplis hortabatur ad bonas literas capeffendas, tum uel maximè ista animos iuuenù expergebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitauisse. Decreto, inquit, suo Athenienses cauerant, ut qui Megaris ciuis esset, si intulisset Athenas pedem prehensus esset, ut ea res ei hominè capitalis esset. Tanto Athenienses, inquit, odio flagrabant si utimorum hominum Megarensium. Tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quiq; etiam ante id decretum, & esse Athenis, et audire Socratem consueuerat: postquam decretum sanxerunt, sub noctem priusquam ad uesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio uersicolore amictus, & caput ora uelatus, è domo sua Megaris, Athenas ad Socratem commeabat, ut uel noctis aliquo tempore consiliorù sermonumq; eius fieret particeps, Rursusq; sub lucem, milia passuum paulò amplius uiginti, eadem ueste illa intectus redibat. At nunc, inquit, uideres iuuenum diuitum, eosq; ibi sedere, atq; operiri propè ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne unum edormiant.

HISTORIA QUARTA de Classe.

Mos antea Senatoribus Romæ fuit, in curiam
cum

Q V A E S T I O N E S

cū prætexitatis filijs introire. Tamen cum in Senatu res maior quæpiam cōsultata, eaq; in diem posterū prolata est, placuitq; ut eam rem, super qua tractauissent, ne quis enunciaret, priusquam decreta esset. Mater Papyrij pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in Senatu patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neq; id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior, secretū rei, & silemum pueri animumq; eius, ad inquirendum euerberat. Querit igitur compressius, uiolentiusq;. Tū puer matre urgente, lepidi atq; festiui mendacij consilium capit. Actum in Senatu dicit, Vtrum uideretur utilius, exq; Repub. esse, unus ne duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Hoc illa ut audiuit, animus cōpauescit, domo trepidās egreditur, ad cæteras matronas peruenit. Ad Senatum postridie matrum familiās cæterua lachrymantes atq; obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta foret, quàm ut uni duæ. Senatores ingredientiæ curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio illa uellet, mirabantur. Puer Papyrius in medium curie progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem sicuti fuerat denarrat. Sensatus fidem, atq; ingenium pueri exoseulatur, consultum facit, uti posthac in curiam cum patribus pueri ne introeant, nisi ille unus Papyrius, atq; puer

puero postea cognomentum honoris gratia inditum Prætextatus, ob tacendi loquendiq; in aulæ prætextata prudentiam. Dixi.

FORMVLA AD monitoria.

PAEDAGOGVS. PVER.

PAEDA. Tu mihi uidere non in aula natus, sed in caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuū decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, Aperi caput. Vultus nec sit tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus. Oculi uerecūdi, semper intenti in eum, cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosæ manus, nec motu labrum, nec se abito caput, nec solito aures. Vestis item ad decorum componatur. Vt totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis, ingenuam modestiã, & uerecundam indolem præ se ferat. PV. Quid si mediter? PAED. Fac. PV. Sic cine satis? PAED. Nondū. PV. Quid si sic? PAE. Propemodū. PV. Quid si sic? PAE. Hem satis est. Istuc tene, Ne sis ineptè loquax, aut præcepti. Nec uagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendū, id facito paratis ac prudēter, subinde præfatus honorē, nō uir

Q V A E S T I O N E S

quam ex addito cognomento, honoris gratia.
 Atq; idem idem modicè flectas alterum genu, pra
 fertim ubi responsum absolueris. Nec ab eas nisi
 praefatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age
 specimè aliquod huius rei nobis praebere. Quatum
 temporis abfuissti à maternis edibus? Pv. Iam sex
 fermè menses. Pæd. Addendum erat, Domine. Pu.
 Iam sex fermè menses Domine. Pæd. Non tangere
 ris desiderio matris? Pu. Nonnunquam sanè. Pæ.
 Cupis ne eam reuisere? Pu. Cupio domine, si id
 pace liceat tua. Pæd. Nunc flectendum erat ge
 nu. Bene habet, sic pergito. Cum loqueris, caue
 ne praecipites sermonem, aut haesites lingua, aut
 palato immurmures, sed distinctè, clarè, articu
 latè consuescito proferre uerba tua. Si què præ
 teribis natu grãdem, magistratum, sacerdotem,
 doctorem, aut alioqui uirum grauem, memento
 aperire caput: Nec pigeat inflectere genu. Itidè
 facito cum praeteribis eadem sacram, aut imaginè
 Crucis. In conuiuio sic te praebabis hilarem, ut
 semper memineris, quid deceat etatem tuam. Per
 stremus omnium admoueto manum patrae. Si quid
 datur lautius, recusato modestè: si instabitur, ac
 cipe, et age gratias: mox decerpta portione, cula
 quod reliquum est illi reddito, aut alicui proxime
 accumbenti. Si quis praebibet, hilariter illi bene
 precare. Sed ipse bibito modicè. Si non sitis, ta
 men admoueto cyathum labijs. Arride loquenti
 bus.

bus, ipse ne quid loquaris nisi rogatus. Si quid ob
 scœni dicetur, ne arride, sed compone uultum
 quasi non intelligas. Ne cui obrectato. Ne cui te
 met a me ponto. Ne tua iactato, ne aliena despi-
 cito. Esto comis etiam erga tenuis fortuna sôda-
 les. Neminem deserto. Ne sis lingua futili, ita fiet,
 ut sine inuidia laudem inuenias, et amicos pares.
 Si uideris conuiuium esse prolixius, precatus ue-
 ni, ac salutatis conuiuii subducito te à mensa.
 Vide ut horum memineris. Pu. Dabitur opera mi-
 proceptor. Nunquid aliud uis? P. Ad. Adito nunc
 libros tuos. Pu. Fict.

EVNTES IN LVDVM

Literarium.

SYLVIVS, ET IOANNES.

SYL. Cur adeò curris Ioannes? Ioan. Cur le-
 pax, ut aiunt, pro carnibus? Syl. Quid hoc pro-
 nerbi est? Ioannes. Quia nisi ad fuero in tempo-
 re, ante recitatum Catalogum, actum est de pel-
 le mea. Syluius. Hac quidem ex parte nihil est
 periculi, Modò præterita est quinta. Inspice
 Horologium, manus nondum attigit punctum,
 quod horam ab hora æquis spacijs dirimit. Ioan.
 At ego uix habeo fidem Horologijs, meminumur
 nonnunquam. Sylui. At mihi fide, qui campanæ
 uocem audiui. Ioan. Quid loquebatur? Syl. Ho-
 ram esse quintam. Ioan. Sed est & aliud, unde

Q V A E S T I O N E S

magis etiam timeam. Reddenda est memoriter be-
 sterna lectio satis proluxa. Vereor, ut possim.
 SYL. Commune periculum narras. Nam et ipse
 uix satis teneo. IOAN. Et nosti præceptoris scien-
 tiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis
 parcat nostris natibus, quam si corium esset bubu-
 lum. SYL. Verum is non aderit in ludo. IOAN.
 Quem igitur uicarium constituit? SYL. Cornelli-
 um. IOAN. Strabum illum, Vse nostris natibus, si
 uel Orbilio plagnior est. SYL. Verum dictis. Et
 ideo non raro sum illius brachio precatu para-
 lysim. IOAN. Non est piū, imprecari præcepto-
 ri. Nobis potius cauendum, ne incidamus in illius
 Tyranni manus. SYL. Reddamus inter nos uic-
 eissim, altero recitante, altero codicem insufficien-
 te. IOAN. Pulchrè mones. SYL. Fac presentis
 animo. Nam metus officit memorie. IOAN. Facile
 deponerem pauorem, si non adesset periculum.
 At in tanto periculo quis posset esse securus ani-
 mo? SYL. Fateor, attamen non agitur de capite,
 sed de parte diuersa.

A L I A.

CORNELIUS, ANDREAS.

COR. Scitè tu quidem pingis, sed charta tua
 perfluit, charta subhumida est, ac transmittit ar-
 tramentum. AND. Quæso ut appares mihi pen-
 nam hæc. COR. Decsi mihi gladiolus scriptorius.
 AND.

AND. Entibi. COR. Hui, quàm obtusus. AND. Accipe coticulam. COR. Vtrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore? AND. Attempera ad manum tuam. COR. Ego molliore soleo. AND. Queso mihi describas ordine figuras Elementorum. COR. Græcas, an Latinas? AND. Latinas primum, conabor imitari. COR. Suppedita chartam. AND. Accipe. COR. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. AND. Et meum linteolum prorsus exaruit. COR. Imminge, nisi mauis immergere. AND. Imò potius rogabo alicunde. COR. Præstat habere domi, quàm rogare accommodato. AND. Quid est scholasticus absq; calamo & atramento? COR. Quod miles absq; clypeo & gladio. AND. Vtinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum distantis uocem scribendo assequi. COR. Prima cura sit, ut bene scribas. Proxima, ut celeriter, sat citò, si sat bene. AND. Belle, sed istam cautionem cane Præceptori, cum dictat, sat citò, si sat bene.

DE LVSV.

NICOLAVS, HIERONYMVS,

COCLES, PÆDAGOGVS.

NICOL. Iam quod uidum et animus & coelum, & dies inuitat ad ludendum. HIER. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor nõ inuitat.

QVÆSTIONES

Nico. Subornandus orator quispiam, qui ueniã
 extorqueat. Hier. Aptè quidem dictum, extor-
 queat. Nam citius clauam extorsis è manu
 Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniã. At olim
 illo nemo fuit ludendi auidior. Nico. Verum, scã
 iam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad uer-
 bera facilimus est & liberalis, hìc parcissimus,
 idemq; difficilimus. Hier. Attamen protruden-
 dus est aliquis legatus, non admodum uerecunda
 frontis, quem non ilico protelet suis scuis dicitis.
 Nico. Eat qui uolet, ego carere malo, quàm ro-
 gare. Hier. Nemo magis accommodus ad hanc le-
 gationem, quàm Cocles. Nico. Nemo profectò.
 Nam perfricta frontis est, ac bene linguax. Deim
 defensum hominis pulchrè caller. Hier. Cocles,
 ab omnibus nobis magnam initurus gratiam.
 Co. Equidem experiar sedulo. Verum si non suc-
 cesserit, ne conferte culpam in Oratorem ue-
 strum. Hier. Bene ominare, si te satis nouimus, in-
 petrabis. Abi orator, redibis exorator. Co. Eo.
 Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salu-
 ue Præceptor. Pæd. Quid sibi uult nugamentum
 hominis? Coc. Salue Præceptor obseruande.
 Pæd. Insidiosa ciuilitas. Satis iam saluco, Dic
 quid uelis. Co. Totus discipulorum tuorũ grex
 orat ludendi ueniã. Pæd. Nihil aliud quàm
 luditis, etiam absq; ueniã. Co. Scit tua prudentia
 uigorem ingeniorum excitari moderato lusu,
 quemad-

Quemadmodū nos docuisti, ex Quintiliano. *Paed.*
 Sanè, ut isthuc tenes, quod pro te facit. *Ex* amē-
 to opus est ijs, qui uehementer laborant, nobis que
 segniter studetis, et acriter luditis, freno magis
 opus est, quàm laxatis habenis. *Co.* Adnitimur
 pro uiribus. Et si quid haecenus cessatū est, post
 diligentia sareietur. *Pa.* Ob sartores. Quis erit si
 deussor aut sponsor isthuc futurum? *Coc.* Ego ca-
 pitis mei periculo non dubitem esse sponsor. *Pa.*
 Imò culi periculo potius, scio quàm non sit tutū
 tibi credere, tamen hīc periculum faciam, quàm
 sis bonæ fidei. si dederis uerba, posthac nequic-
 quam mecum egeris. Ludant: sed gregatim in cā-
 pis. Ne diuertant ad computationes, aut alia ne-
 quiora. Maturè se recipiant domum, ante Solis
 occubitum. *Co.* Fiet. Exorauī, quanquam egrè.
 Hier. O lepidum caput, omnes amamus te pluri-
 mum. *Co.* Sed interim caueamus, ne quid pece-
 mus, alioqui de meo tergo dependendum foret, si
 deussi uestro omnium nomine. Quòd si quid ac-
 cidat, nō est quòd me posthac ut amini legato. *Hi.*
 Cauebitur, sed quod lusus genus potissimum pla-
 cet? *Cor.* De hoc in campo consultabimus.

PILA.

Nic. Nulla res melius exercet omnes corpo-
 ris partes, quàm pila palmaria, sed aptior hye-
 mi, quàm æstati. Hieron. Nullum anni tempus no-
 bis parum accommodum est ad ludendam. *Nic.*

Q V A E S T I O N E S

Minus sudabitur, si ludamus reticulo. HIE. Imò
 reticulum piscatoribus relinquamus, elegantius
 est palma uti. NICO. Age nihil moror, sed quanti
 certabimus? HIE. Talitro, sic parceretur pecuniae.
 NICO. At ego malo fronti parci, quam pecuniae.
 HIER. Et mihi frons carior est pecunia. Aliquo
 periculo certandum est, alioqui friget ludus. NI-
 CO. Sic res habet, ut dicis. HIER. Vtra pars pri-
 or euicerit tres lusus, ei uicta pendet sexta dra-
 chmae parte, sed hac lege, ut quicquid è uictorij
 collectum fuerit, insumatur in conuiuium, ad quod
 pariter uocentur omnes. NICOL. Placet lex, et
 rata esto, Superest igitur, ut sortiamur partes.
 Nam sumus ferme pares omnes, ut non admodum
 referat quis cui coniungatur. HIER. Tu tamen
 me longè peritior es. NICO. Ut sim, sed tu felici-
 or, HIER. Etiam hic ualet fortuna? NICO. Illa
 nusquam non regnat. HIERO. Age fiat sortitio.
 Eage, bene cecidit, conigere quos uolebam. NIC.
 Et nos nostrae sodalitatis non poenitet. HIE. Age-
 dum si mus uiri. Amat uictoria curam. Suum quisque
 locum grauius tueatur. Tu mihi consiste a ter-
 go, excepturus pilam, si me transuolet. Tu ista hic
 observa, repulsurus huc ab aduersarijs reuolan-
 tem. NICO. Ne musca quidem hac praeteruola-
 rit impunè. HIER. Agite bonis aubus, mitte
 pilam in tectum. Qui miserit nihil praefatus, frus-
 tra miserit. NICO. Hec accipe igitur. HIERO.
 Mittito.

Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra, supra-
 ue testum, uestro damno fuerit, aut certe nobis
 fraudi esse nolim. Tu sane parum comode mittis.
 NICOL. Tibi quidem, at nobis comode. HIER.
 Vi miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed
 prestat ingenuè legitimeq; ludere. NICO. In lu-
 do pulchrum est arte uincere. HIER. Fateor, at
 que etiam in bello. Sed habet utraq; pars suas le-
 ges. Et sum artes illiberales. NICO. Credo, plu-
 res septem. Signa terminum testula, aut rudere,
 aut si mauis pileo tuo. HIERO. Tuo malim. NI.
 Rursus accipe pilam. HIER. Mitte. Pone notā.
 NICO. Habemus duos terminos satis longinquos.
 HIER. Vt eunq; sed tamen uincibiles. NICO. Pla-
 nē uincibiles, si nemo repugnet. HIER. Euge pri-
 orē metam prætercurrimus. Vicimus quindecim.
 Heus præbete uos uiros, uiceramus & hic, si tu
 tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. NICO.
 Non diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadra-
 ginta quinq;. HIERO. Sestertia? NICOL. Non.
 HIER. Quid igitur? NICOL. Numeros. HIER.
 Quò pertinet numeri, si nihil est quod numeres?
 NICO. Noster hic ludus est. HIER. Præproperè
 tu quidem, ante uictoriam canis triumphum. Vidi
 qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebāt.
 Varia est ut Martis, ita lusus alca. Habemus tri-
 ginta. Iam rursus pares sumus. NICOL. Nuñc se-
 riò res agitur. Euge successit, habemus potiores.

Q V A E S T I O N E S

Hieron. Non diu habituri. Dixim? Rursum aequi
 li fortuna sumus Nicol. Diu nutat fortuna, uelut
 anceps, utris uelit addicere uictoriam. O Fortis
 fortuna, si nobis faueris, dabimus tibi maritum.
 Eage, audiuit uotum, Penes nos est huius certami-
 nis uictoria. Pone notam cretaceam, ne exci-
 dat. Hier. iam appetit uespera, sudat um est sa-
 tis, praestat à ludēdo desistere, ne quid minus. Sup-
 putemas lucrum. Nicol. Nos euicimus tres dra-
 chmas, uos duas. Restat igitur una ad compota-
 tiuentalam. Sed interim quis soluet precium pila-
 rum? Hier. Omnes ex aequo, pro sua quisq; por-
 tione. Nam lucrum exilius est, quam ut inde pos-
 sit aliquid decidi.

LVDVS SPHAERAE PER

Annulam ferream.

GASPAR, ERASMIVS.

Gasp. Age nos auspiciabimur, uicto succedet Marcholphus. Era. Sed quod erit uictori
 praenium? Gasp. Victus ex tempore faciet, ac re-
 citabit distichon in laudem uictoris. Er. Accipio
 legem. Gasp. Vis ne sortiamur, uter prior incipi-
 at? Er. Esto tu Prior, si libet, ego malim esse Ab-
 bas. Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota
 est arca. Versaris in tua harena. Gasp. in hac ex-
 ercitator sum, quam in libris. Tamen istud per-
 quam exigui momenti est. Er. Aequum est, ut tan-
 tus artifex in hoc certamine mihi largiare nomi-
 bil.

hil. Gasp. Imò isthuc abs te peterem iustius, sed
 parum honesta precaria uictoria, Is demum uin-
 cit, qui suo Marte uincit. Ita sumus pares, ut non
 melius commissus fuerit olim cum Bito Bacchius.
 Era. Tua sphaera commodior est mea. Gasp. Et
 tua uola uincit meam. Er. Ludito legitime, absq;
 technis, ac dolo malo. Gasp. Dices tibi rem esse
 cum homine probo. Era. Sed prius audire cuo-
 pio huius sphaeristerij plebiscita. Gasp. Quater-
 no ludum absoluit, qui hanc lineam praeterierit,
 in damno est. Reliquos limites si transiliat, sine
 fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, per-
 det ius ferendi. Er. Intellego. Gasp. En, occlusi ti-
 bi portam. Er. Sed isthinc te excutiam. Gasp. Ad
 si feceris, cedam tibi huius certaminis palmam.
 Era. Bona fide? Gasp. Optima. Non enim potes
 alia uia, nisi sic mittas sphaeram tuam in parie-
 tem, ut resiliat in meam. Eras. Id experiar. Quid
 ais bone uir, nonne repulsus es? Gasp. Fateor,
 uinam tam sapiens esses, quam es felix. Sed istuc
 centies tentami uix semel successerit. Eras. Imò
 si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quo-
 que experimento successerit, uinces, sed in crim-
 rede pactum premium. Gasp. Quodnam? Eras.
 Distichon. Gasp. Reddam. Eras. Et quidem
 ex tempore. Quid arrodas unguem? Gasp. Cla-
 rissime. Eras. Recita clarè. Gasp. Cla-

Plaudite

Q V A E S T I O N E S

Plaudite uictori iuuenes hic quotquot adestis.
 Nam me qui uicit doctior est nebulo.
 Nonne distichon habes? ER. Habeo: sed quale
 abs te allatum est, tale tibi referetur.

A R S N O T O R I A.

DESIDERIUS, ERASMIUS.

DES. Quomodo succedunt tua studia Erasme?
 ER. Musis, ut apparet, parum fauencibus, sed fe-
 licius succederent, si quiddam abs te queam impe-
 trare. DE. Nihil non impetrabis, modo sit in rem
 tuam. Dic tantum quid rei sit. ER. Non dubito
 quin nihil sit artium reconditarum, quod te fugi-
 at. DE. Utinam uera praedices. ER. Audio artem
 quandam esse Notoriam, quae hoc praestet, ut ho-
 mo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas
 liberales. DE. Quid audio? Vidisti codicem? ER.
 Vidi, sed uidi tantum, quod non esset doctoris co-
 pia. DE. Quid continebat liber? ER. Varias anti-
 quarum formis, draconum, leonum, leopardorum,
 uariosque circulos, & in his descriptas uoces par-
 tim Graecas, partim Latinas, partim Hebraicas,
 aliasque Barbaricarum linguarum. DESID. Intra
 quot dies pollicebatur titulus disciplinarum co-
 gnitionem? ER. Intra quatuordecim. DE. Magni-
 fica sanè pollicitatio, sed nosti ne quenuquam per-
 istam artem notoriam euasisse doctum? ER. Ne-
 quaquam.

quaquam. DE. Neq; quisquam alius uidit unquā,
 aut uisurus est, nisi posteaquam uiderimus aliquē
 per Alcumisticam euasisse diuitem. ERA. Equi-
 dem optarim artem esse ueram. DESI. Fortasse
 quod pigeat literas tantis sudoribus emere. ER.
 Scilicet. D. Atqui sic uisum est superis, Opes istas
 uulgares, aurum, gemas, argentū, palatia, regnū
 nonnunquā largiuntur ignauis et immerentibus,
 sed quæ ueræ sunt opes, ac propriè nostræ sunt,
 uoluerūt parari laboribus. Nec oportet nobis uē-
 deri molestum laborem, quo restantia paratur,
 quum ceruamus plurimos homines, per horreda
 discrimina, per non æstimandos sudores eluctari
 ad res & temporarias & planè uiles, si ad erudi-
 tionem conferantur, nec tamen semper assequun-
 tur quod ambiunt. Et habēt studiosorum labores
 multum admixtum mellis, si paululum in ea pro-
 cesseris. Iam in te bona ex parte situm est, ut ma-
 gnæ mediocrum partē amputes. ER. Quo nam
 pacto? DES. Primum, ut animum inducas amare
 studia. Deinde, ut ea mireris. ER. Quibus ratio-
 nibus hoc fiet? DESI. Contemplare quàm multos
 ditârunt, quàm multos ad summam dignitatem,
 auctoritatemq; prouexerint literæ, simulq; tecū
 cōsidera, quantum intersit inter hominem & pe-
 cudem. ER. Probè mones. DE. Deinde cicures in-
 genium tuum oportet, ut possit secum consistere,
 atq; his delectari, quæ utilitatē adferunt potius,
 quàm

QVÆSTIONES

quàm uoluptatem. Nam quæ per se sunt honestæ,
 etiam si in initio non nihil habent molestiæ, tamen a
 consuetudine dulcescunt: ita fiet, ut & minus fati-
 ges præceptorem, & ipse facilius percipias, iux-
 ta dictum Isocraticum, aureis literis in fronte
 codicis tui pingendum, Εὰρ ἦς Ἐλομεθεὶς
 εἶσι πολυμαθῆς. Er. Satis adest celeritatis in
 percipiēdo, sed mox effluit quod perceptum est.
 Des. Itaq; pertusum mihi narras dolium. Eras.
 Haud multum aberras à scopo: sed quid reme-
 dij? Des. Obturāda est rima ne perfluat. Er. Quo-
 bus rebus. Des. Non musco, neq; gypso, sed dili-
 gentia. Qui uoces ediscit, nō intellecta sententi-
 æ, sed εὐρόεντα sunt, facileq; auolant, nisi sententi-
 arum pondere librentur. Prima igitur cura sit,
 ut rem penitus intelligas, diu subinde tecum uer-
 ses ac repetas, & in hoc cicurandus est, ut dictum
 est, animus, ut quoties opus est, cogitationi possit
 insistere. Nam si cui mens est adeo syluestris, ut in
 hoc cicurari non possit, haudquaquam est iō-
 nea literis. Er. Isthuc quàm sit difficile, plus sa-
 tis intelligo. Des. Quisquis enim habet animum
 adeo uolubilem, ut nulli cogitationi possit immo-
 rari, nec diu potest audire loquentem, nec infige-
 re memoriæ quod didicit: plumbo potest aliquid
 imprimi, quod maneat in loco: aquæ aut argemo
 uino, quoniam semper fluitat, nihil potest imprimi.
 Quid

Quòd si possis in hoc ingenium tuum mansuescere, quum assiduè uerseris inter eruditos, quorum consabulationes quotidie tam multa proferrunt digna cognitu, minimo labore disces quàm plurima. Er. Profectò sic est. Des. Nã præter sermone conuiuiorũ, præter quotidiana colloquia, statim à prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis autoribus selecta, Totidem à cœna. lam mihi supputa, quantam hæc summam conficiant in singulos menses, & annos. Eras. Magnè ficam, si possem meminisse. Des. Adhæc quum nihil audias nisi bene Latine loquētes, quid obstat, quò minus intra paucos menses ediscas Latine, quum illiterati pueri Gallicam, aut Hispanicam linguam discant exigui temporis spacio? Eras. Se quartum consilium, experiarq; num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere. Des. Ego aliam artem Notoriam non noui, quàm curam, amorem, & assiduitatem.

**DE RELEGENDA
PRAELECTIONE, DE EDISCENDO,
deq; enotandis ex Autoribus loquendi Formulis, Dialogus
Petri Mosellani.**

PHAEDRVS, ET AETATE, ET
eruditione maior, cum fratre suo
IOANNE loquitur.

PHAED.

Q V A E S T I O N E S

PHAE. Quid tu ociosus hic desides, & non
 potius prælectionem modò auditã reiegis? Ioan.
 Relegi, atq; adeò bis terue. Phæ. At fortasse non
 satis accurate. Ioan. Accuratissimè, ut totam citi-
 am memoria complectar. Phæd. An tuo te officio
 satis perfunctum credis, si memoria tantum re-
 neas, & Psittaci more uerba non intellecta præ-
 ceptori reddas? Ioan. Quin intelligo omnia.
 Phæd. Hui, omnia? Vide quid dicas Ioan. Omnia,
 inquam, ut maximè tibi uideatur incredibile, al-
 que id ut credas facilius, liberum tibi est, singu-
 la, que ad modò auditam prælectionem attinet,
 ex me perquirere. Phæd. Singula persequi in
 præsentia non est ocium, hoc tantum quero, Pri-
 mum, an totam Auctoris sententiam, ex præcepto-
 ris interpretatione sis assecutus, et qua quidq; ra-
 tione, quòue consilio sit dictum intelligas. Deinde
 singulasne clausulas expèderis: Videlicet si quæ
 habeant sententiã insignem, si quòd proverbiũ
 si quod exnuc, si quem Tropum, si quem colorem
 Rhetoricum, si quem locum Dialecticum, si quæ
 uenuste loquendi formulas, Quæ omnia enotare
 opera precium est, partim ut sit in promptu sem-
 per, quo mores nostros pariter, & alienos corri-
 ganus, partim ut ex idoneis scriptoribus supple-
 tãt rectè loquẽdi, scribẽdiq; exẽpla, ad quæ, cras-
 sissima illa hodie barbarissimum loquendi con-
 suetudine posthabita, orationem nostram compo-
 nent

nere queamus. Postremo, si quod dictū antiquē,
 si quod nouē, quod loquendo, si quod parū Chri-
 stianē, quod uiuendo exprimere non conueniat.
 Hec magister tuus, uir non solum doctus, sed et
 prudens, inter prælegendum diligenter admone-
 re solet, et ipse eiusmodi, cum id ætatis eram, in
 scholis nō oscitanter excepta, domum regressus
 partim memoriæ, partim chartis fidis memoriæ
 custodibus, cōmendabam. Senti namq; hac dilige-
 tia me uehementer proficere. Quod si fratris ue-
 stigijs insisteres, idemq; faceres, iā certē non hīc,
 sed libris ad sideres IOAN. Nimis multa in puer-
 ro requiris. Equidem ut quod uerum est tibi re-
 spondeam, in his quæ tu mones exponenda, plerū-
 que omnes sumus negligentiores, nimirum contē-
 ti singularum dictionum, quæ in contextu repe-
 riantur, habuisse respectum, uidelicet, quam ex
 octo orationis partibus habeant pro genere, quæ
 sine accidentia, cuius generis, simplicia sine an cō-
 posita, in quam cadant declinationem. Item quæ
 partium sit inter sese constructio. PHAED. Re-
 tē, sed et illa non oportuit negligere, alioqui nō
 uideo, quid referat Terentium, Ciceronem, Ver-
 giliū, et similes, tanta cura, sine fine, tractari,
 si non inde aliquid, quod uel ad rectē uiuendī rā-
 tionem, uel dicendī facultatem faciat, consequā-
 mur. Ipse certē eam lectionem, ex qua auditorum
 imitationi nihil accedit, nullā puto. Tancum ab-

QVAESTIONES

est, ut istos probem, qui scriptorum sensum expo-
 suisse ut cunq; conteni, nullam imitandi uiam di-
 scipulis commonstrant. Tu uerò quando prece-
 ptorem nactus es doctum, & fidum, fac eius cum
 doctrine, tum fidei, diligentia tua respondeat.
 IOAN. Dabo operam sedulo, ne quod ad hanc
 rem attinet, iure me posthac obiurgare queat.
 Sed iam duodecimæ horæ signum auditur, qua-
 re hinc ocyus in ludum contendam.

QVINAM HABENDI sine studiosi.

Aristippus cuidam iactanti se, quòd esset *πολύμαθς*, hoc est, multiplicis eruditionis, quasi
 nihil non didicisset, Quemadmodum, inquit, non
 hi, qui plurimum edunt excernuntq;, melius ual-
 lem his, qui sumunt quantum opus est, ita non
 qui plurima, sed qui utilis legerunt, studiosi &
 eruditi sum habendi. Grauiter taxauit eos, qui
 tumultuaria, immodicaq; lectione semet ingur-
 gitant, nec ea quæ legunt, traiciunt in ararium.

DE DISCIPLINA

puerorum.

Prius Laconum instituta fuerunt, ac mos ille
 receptus, ut pueri non modò suos quisq; pariter
 honore prosequeremur, hisq; dicto audientes es-
 sent, uerum etiam ut omnes seniores uererentur
 cum de uia cedentes, tum è sedibus assurgentes
 ac prætereunibus illis taciti quietiq;. Quare sic
 sum

etum ut quisq; non (quemadmodum hodie malè
 fieri solet) in proprios modò liberos autoritatè
 retineret, uerumetiam in amicorum, ac uicino-
 rum perinde ius haberet, atq; in suam propriam
 sobolem. Vnde puer abs quoquam castigatus, si
 querelam ad patrem detulisset, turpe erat pa-
 tri, si hoc audito non iterum filium emendasset.
 Siquidem ex institutione maiorum habebant
 hanc de se mutuò fiduciam, ut crederent nemi-
 nem esse, qui cuiusquam liberis, quos quisq; pro
 suis habebat, quicquam imperaret inhonestum.
 At iam, quæ (malum) est amentia, pueros à præce-
 ptoribus, a maiorum paremibus, cesos, queri a-
 pud parentes de crudelitate eorum, à quibus ca-
 stighati sunt. Prima etas quoniam nondum sentit
 quid turpe, quid honestū, uerberibus eget. Quæ
 subdi nolle, parentum est stolidorum. Porro non
 incassum Aristoteles dicebat, parentes, qui rectè
 liberos suos institui curassent, honorabiliores
 esse ijs, qui tamèum genuissent, quòd ab his conti-
 gisset uiuere, ab illis etià bene uiuere. Sed uti-
 nam nos librorum nostrorum mores nò ipsi per-
 deremus. Infanciam statim delicijs soluimus. Mole-
 ris illa educatio, quam indulgentiam uocamus,
 neruos omnes, et membris, et corporis frangit, ut
 ait Quintilianus.

DE DOCTRINARVM FRVCTV,
 ex Diogene Laërtio, et Erasmo.

Q V A E S T I O N E S

Aristoteles cuidam percontanti, quid ex Philosophia lucri cepisset, Vt ea, inquit, nullo imperamine faciam, quæ uulgus facit metu legum. Vnde et uulgus abstinet à furto, quia lex minatur poenam: Philosophus abstinet, quia per se turpe est, etiamsi liceat impunè. Idem dicebat eruditionem in prosperis esse ornatum, in aduersis refugium. Et Diogenes eruditionem omnibus hoc sermone cõmendabat, quòd diceret, eam iuuenibus adferre sobrietatem, Senibus solatium, Pauperibus diuitias, Diuitibus ornatum. Propter quòd etatem suapte sponte lubricam coërcet ab intemperantia, Senectutis incommoda honesto solatio mitiget, Pauperibus sit pro uatico, Diuitum fortunas ornet.

Aragonũ Rex percontantibus, utri rei se plus debere fateretur, Libris an armis? Ex libris, inquit, et arma, et armorum iura didici. Hac nocte profitens, se libris debere omnia.

DE DISCRIMINE DOCTORUM ET INDOCTORUM.

Rogatus Aristoteles, qua re differret docti ab indoctis. Qua uiui, inquit, à mortuis. semiens hominem absq; literis, statuam esse uerius, quàm hominem.

Et Aristippus idem rogatus inquit, Docti ab indoctis eo differunt, quo equi domiti ab indomiti-

is. Quemadmodum equus indomitus ad omnem usum incommodus est, ob inscitiam ac ferociam, ita qui rapitur adfectibus, quos sola domat Philosophia, ad omnem uitæ consuetudinem inutilis est.

Idem rogatus, quare differret sapiens ab indocto. Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & uidebis. Significauit sapientem secum in pectore circumferre, quo se commendet quibuslibet. Proinde si doctum & indoctum pariter nudos mittas in regionem peregrinã, ubi ambo sint æquè ignoti, sapiens profrens ope suas, protinus & rem & amicos inueniet. Nudus alter pro insano ridebitur, et fame periclitabitur.

Idem dicebat satius esse fieri mendicũ, quàm indoctum, quòd ille tamũ pecunijs egeat, hic humilitate. Nihilominus homo est, cui deest pecunia. Sed homo non est, cui deest eruditio. Et tamen cui deest pecunia, petit ab obuijs: cui deest sapientia, nullum sollicitat, ut accipiat.

DE EXERCENDA

memoria.

Antisthenes Atheniensis cuidam deploranti, quòd commentarios suos perdidisset: Oportuit, inquit, ista animo potius, quàm chartis inscribere. Librorũ fiducia frequenter in causa est, ut minus exerceamus memoriam. Sed in tuto est, quod animo impressum est. Licet enim circumferre, &

QVÆSTIONES

semper in promptu est.

DE PARENTVM IN LIBE-

ris instituendis probrosa tenacitate.

Quidam cum Aristippo agebat, ut filium suum susceperet erudiendum: sed cum Philo sophus pro mercede peteret quingenas drachmas, alter deterritus magnitudine precij: Minoris, inquit, emerem mancipium. At hic, me, inquit, & habebis duo. Lepidè taxavit uulgi iudicium, qui nufquam parcior est, quàm in rectè instituendis liberis, plusq; sumptus impendit in curandis cambibus & equis, quàm filiis.

DECERTATIO SALTVS

VINCENTIVS, LAURENTIVS

VIN. Libetne decertare saltu? LAV. Ludus iste non conuenit pransis. VIN. Quam ob rem?

LAV. Quia uètris saburra grauat corpus. VIN.

Non admodum sanè, qui pransi sine in Padagogio. Nam hi plerūq; cœnatoriū priusquam ab-

soluerint prandium. LAV. Quod igitur salientis genus placet? VIN. Auspicemur ab eo, quod est

simplicissimū, à saltu locustarū, siue manus rana-

rum, utraq; tibia, sed iunctis pedibus. Qui longius me promouerit cingulum, coronam feret. Huius

ubi erit facietas, aliud atq; aliud genus experiemur. LAV. Equidem nullum recusabo genus, nisi

quod geritur cum periculo tibi arum, nolim mihi

rem esse cum Chirurgis. VIN. Quid si certemus
 unica tibia? LAV. Iste ludus est Empusa, ualeat.
 VIN. Hasta mixtum salire, cum primis est ele-
 gans. LAV. Liberalius est certare cursu, siquidē
 hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit
 & Aeneas. VIN. Verum, sed idem proposuit &
 aestuum certamen, quo nō delector. LAV. De-
 signa stadiū. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit
 meta. VIN. Sed utinam adesset Aeneas, qui pro-
 ponat & praeia uictori. LAV. Victori abundē
 magnum praeium est gloria. VIN. Victo potius
 dandum erat praeium, solatij gratia. LAV. Sit
 igitur uicto praeiū, ut lappa coronatus redeat
 in urbem. VIN. Equidē non recusarim, si tu prae-
 cedas tibia canens. LAV. Est ingens aestus. VIN.
 Nec mirum, cū sit solstitium aestuum. LAV. Prae-
 stiterat natate. VIN. Mihi non placet ranarū
 uita, Animal sum terrestre, nō amphibion. LAV.
 Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cū pri-
 mis habebatur liberale. VIN. Imō etiā utile. La.
 Ad quid? VIN. Si fugendū sit in bello, ibi potissi-
 mū ualent, qui sese cursu pedum, & natatu ex-
 ercuerunt. Lau. Artem narras haudquaquam
 aspernandam. Neq; enim minus laudis est aliquā
 do bene fugere, quā fortiter pugnare. VIN. Sum
 planē rudis & imperitus natandi, nec sine periculis
 lo uersamur in alieno elemento. LAV. Sed assue-
 scere oportet, nemo nascitur artifex. VIN. At

SYMBOLA

ego istius generis permultos audio natasse, sed non enatasse. LAV. Experieris primum innoxius suberi. VIN. Nec suberi fido magis, quam pedibus. Si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quam certator.

IOANNIS LUDOVICI VIS VALENTINI SYMBOLA
quædam, ad usum puerorum.

Studio sapientiæ nullus in uita est terminus
statuendus, cum uita simul est finiendū. Semper illa tria sunt homini, quàm diu uiuit, meditanda: Quomodo bene sapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.

Scopus uitæ Christus.

Pax Christi.

Murus æneus, sana conscientia.

Bonis omnia in bonum.

Suspicionibus securus.

Virtus instar omnium.

Tibicen fortunæ uirtus.

Antidotum uitæ, patientia.

Sal uitæ amicitia. Oculus uitæ sapientia.

In uirtute oculi & manus.

Multi nimium, nemo satis.

Harmonia interna. Satis relicturo.

Sapiens solus longæuus.

Pauper egeus non carens.

Cor canum in iuuenli corpore.
 Columbini oculi in serpentino corde.
 Oculi in sceptro.
 In uirtute Delphinus.
 In ultione Callipedes.
 Gloria crocodilus.
 Hemerobia uana gloria.
 Disce uiuere. Disce mori.
 Viue, ut post uiuas.
 Blandum imperium imperiosum.
 Fortuna nimis blanda, hamata.
 Fideli nulla seræ.
 Autoritas rerum gerendarum telum.
 Magnes amoris amor. Philtra amor.
 Magnes amoris modestia.
 Magnum satellitium amor.
 Exercitatio potest omnia.
 Dij bona laboribus uendunt.
 Optima cibus inuidiæ.
 Da cæcus, Accipe oculatus.
 Præsidium in innocentia.
 Ciconiæ beneficium. Comœdia uita humana.
 Confide rectè agenti. Veritas temporis filia.
 Lupus mendacio tempus.
 Veritas premitur, non opprimitur.
 Exilium inter malos.
 Ne hilarem insaniam insanias.
 Inter spinas calceatus.

SYMBOLA

Deum sequere. Virtutis umbra gloria.
 Honores onera. Alata etas.
 Fidens non confidens.
 Cuius pudebit, pigeat.
 Stulta de alienis superbia.
 Tu tibi uenerabilis. Oculum in metam.
 Iniuria obliuione ulciscenda.
 Amicum inimicum fugito.
 Ne lingua mente celerior.
 Diuitie iniurie pignora.
 Frenum in lingua. Ne bos in lingua.
 Populo cede, ne pare.
 Et pile sua umbra.
 Foris Argus, domi talpa.
 Voluptatis occipitium, non frons.
 Falle uiuens, sed nonte.
 Difficilis glorie custodia.
 Ora uirtute obtura, non metu.
 Animo corpus fulciendum.
 Ebrietas nec madida, nec sicca.
 Nullus sine linea dies.
 Paruo fames constat, magno fastidium.
 Persona publica, priuatam deponere.
 Theatrum uirtutis conscientia.
 Quorsum hæc aliò properantibus?
 Iucundum laboris tergum.
 Tempestiua iucunda.
 Bono Deus lex, malo cupiditas.

Esto quod audis.
Onusto cur inuides?
Ex granis aceruus.
Fidem qui dat, omnia dat.
Procul nubes, propè nebula.
Vnum est necessarium. Mente Deo defixus.

AD STUDIOSAM IUVENTUTEM

Pedagogicam Marpurgensem, Reinhardi
Hadamarij Sapphicon.

Hæc sacra diues tibi *Questiones*
Pagina ductas, operis piarum
Mentium, grato studiosa pubes
Accipe uultu.
Digna que lectu pariter nitentis
Scripta subieci gregis: additura
Multa prælaro tibi diligenti
Commoda fructu.

QVO TEMPORE HADA-

maria igne absumpta.

Martius infausto processerat alite Mensis:
Quarta dies eius decimam que liquerat, ipsa
Solis erat, retinens à ludico nomen, et anni
Mille ac quingenti, cum quadraginta, diei
Nona, furens siccis uentis Borealibus hora,
Cum caderet rapidus Hadamaria diruta flāmis.

CATA

CATALOGVS OPVSCV.

lorum huic libello insertorum. a. priorem,
b. alteram chartæ faciem notat.

Precatio matutina & uespertina.	2 b
Questiones Catechisticæ de religione, pietate, E- uangelio, fide & charitate.	3 a & c.
Decalogus præceptorum Dei.	5 a
Idem carmine comprehensus.	ibi. b. 8 b
Symbolum Apostolicum explanatum	9 a
Idem carmine	13 a
Oratio Dominica	14 a
Oratio ad Deū, pro docilitate consequenda	17 a
Gratiarum actio de profectu in studijs.	ibid. b
Oratio ad Deum in omni necessitate.	18 a
De clauibus regni cœlorum.	ibid.
De confessione peccatorum.	ibid. b
Forma confitendi, & absolutionis.	19 a b
De ieiunio.	20 a
De Sacramentis.	ibid. & 21 a
De Baptismo.	20 b
De Eucharistia siue Coena Dominica, & eius u- su.	ibi. b
Eucharistie uerba carmine comprehensa	24 b
Questiones de Sacramento Altaris, è Germani- co. D. Lutheri recens conuerse.	25 a
Epistola D. Pauli ad Romanos capita	XII.
XIII. XIII.	27 b
Ad Corinthios caput XIII.	30 a
	Ad

I N D E X.

Ad Galatas caput V.	ibi. b
Ad Ephesios caput II. V.	31 a
Primæ S. Petri caput II.	33 a
Primæ S. Ioannis caput III. IIII.	34 a
Formule salutandi.	36 a
Monitoria, Dialogus	ibi. b
Formule benedictionis mensæ, & gratias agendi.	37. b & c.
Gratias agendi hospitibus.	38 b. 39 a
Gratias agendi pro accepto munere vini. ibi.	40 b
Ad prandium uocandi formula.	39 a
Vina donandi formula.	ibi. b
Morum ciuilitatis præcepta selectiora.	40 b
De cruditione questiones aliquot.	48 a
Diligentiæ exempla.	49 b
Legum scholasticarum decalogus	50 b
Pædagogio mancipatorum ad Academicos proceres Oratio.	52 a
Ad captiuorum orationem Responsio facultatis artium Decani	53 a
Historiæ Classium.	54 b. & c.
Formula admonitoria Erasmi.	57 a
Euntium in ludum literarium Dialogi.	58 a. b
De lusu Dialogi, Pila, Sphæræ per annulum ferreum.	59 a
Ars Notoria.	62 b
De relegendo, ediscendo & enotando, Dialogi Petri Mosellani.	64 a
	studiosi


INDEX.

Studiosi qui habendi	65 b
De disciplina puerorum.	Ibid.
De doctumarum fructu.	66 a
Doctorum & indoctorum discrimen	ibid. b
Memoria exercenda.	67 a
Parenum in liberis instituendis probro nacitas.	67 a ter
Decertatio saltus.	ibid. b
Symbola quedam, siue senectutis Ioannis Lodouici ci Viuis.	67 b
	68 b

FINIS.

FRANC. Apud Hæred. Chr. Eggen.
M. D. LVIII.





OCN 6550 53 69